

eben so gut: Versuch, Abhandlung, Bemerkungen, Widerlegung oder wie du willst, benennen kannst. Der Schluſs sey wenigstens der Schluſs eines Briefes; das Ganze ende sich mit der Bitte: mir deine Freundschaft zu erhalten.

*G*** im August* 1796.

JOSEPHI SALOMONIS FRANK
MEDICINAE DOCTORIS

OBSERVATIONES MEDICINALES

CIRCA RES GESTAS

IN

CLINICO INSTITUTO

NOSOCOMII VINDEBONENSIS

ANNO MDCCXCVI.





Viennæ Auſtriæ
apud Chriſt. Frider. Wappler
1797.



Præfatio.

Vereor, ne parva vela darem Tyrrhenum per æquor, dum lego veſtigia eximii viri, cui ob ſuavitatem morum magnamque eruditionem, non invida Poſteritas, locum inter Fridericum Hoffmannum Swieteniumque, jure concedet. — Sed eſt ei animus, laudem ſpernens vilem, nudamque amans veritatem, ſuum fecit Romani Poetæ

eſſa-

effatum, non jurare in verba magiſtri; hoc ſemper innixus, audaci cum greſſu ſecutus ſum eeleberrimum virum ad ægrotantium lectulos, ibidemque omnia, quæ præclare ab eo facta fuerunt, diligenter annotavi, & ſi hinc inde aliquid (meo quidem tenui judicio) ſagacitatem expertiſſimi viri fefellit, etiam hoc cum Probitatis penicillo depinxi, nilque hic libellus continet, quod ipſemet non vidi, & quod non, in dubio caſu, amicorum quoque conſiliis ſubjeci, quas obſervationes nunc in lucem edo; trementi quidem cum manu, dum mens conſcia tenuitatis, vetat

Laudes egregii viri
Culpa deterere ingenî.

Ad


Ad tædium lectorum, quantum fieri possit, evitandum, multas morborum historias nil novi complectentes omisi, ex aliis corollaria eduxi, & solummodo has fusius recensui, quæ scitu dignissimæ mihi videbantur.

Tempore, quo viget opinionum bellum ubique, quo injurioso pede super cineres summorum medicorum incedunt, quo Brownium temere secuti eheu! nimiam morborum simplicitatem quærunt; juvat hoc tempore videre persapientem nostrum Professorem, luctantem cum novis systematibus hodiernæ medicinæ, undique veritatem depromentem, somniaque ridentem, ut denique Hippocratica ars, firmis stabilita fundamentis, propugnaculum esse possit, contra impetum obtrectatorum ejus laudis. —

Ob-

Obſervatio enim eſt fons ; ex quo hauſit, illuſtris noſter Frankius, cum Baglivio dicens: „dum conſidero „ naturam ſui juris eſſe, nec ingeniis „ addictam noſtris, ſuosque motus „ ita occulte peragere, ut nulla alia „ via inveſtigari facilius poſſint, quam „ per obſervationem, vel, per ratio- „ nem obſervationis pediſſequam.

HI-



HISTORIA I.

Febris nervosa stupida.

Vir 46 annorum, ante viginti annos vermibus & hæmorrhoidibus vexatus, emaciato infirmoque corporis habitu, vino nimis indulgens 1. Januar. strenue potans, noctem ebrius transegit, altero jam die correptus fuit corporis tremore, horrore, capitisque dolore; vires animi corporisque prostratæ, & cibos omnes abhorruit: Insecutus est vomitus cruentus & grumi sanguinis ore naribusque prodierant. Nec non & Diarrhæa cum choleræ specie defuit. Medicus aliquis exhibuit purgantia, quæ spatio quatuor dierum, alvum trigesies moverunt; inter hasce dejectiones tenia septem ulnarum exclusa fuit. Sudor per tres dies ingens, ita ut sexto morbi die jam debilitas summa, delirium continuum, petechiæ præcipue in extremitatibus copiosæ, aucta fuerunt hæc symptomata ad decimum usque diem, ubi in clinicum delatus fuit, sequentia exhibens: emaciatum corpus, delirium lene, stupiditatem, petechias lividas co-

piofas, extremitatum frigus, moeftos oculos linguam ficcam, fitim urgentem, pulfum lentum, quidquam plenum & durum. Eft quidem æger mentis compos, accurate refpondet, fed memoria admodum vacilla & vox vix percipienda. Abeft capitis dolor & refpiratio eft bona. — Cum omnia fymptomata præter pulfum, fumman debilitatem oftendant, fequentia porrigebantur:

℞. Cort. peruv. unc. unam cum dimid.
coque in aquæ commun. unc. viginti
colat. libr. unius adde
aquæ cinamom. cum vino unc. duas
liquor. anodyn. miner. Hoffm. drach. unam cum dimid.
fyrup. cort. aurant. unc. unam.
d. fign. omni bihorio, fumat inde vafculum medium.

Duo veficantia ad furas ut rubefacientia.

Die 11mo morbi. Nox fuit tranquilla, fexies alvum depofuit, calor eft naturali major, pulfus magis elevati ac pleni fed lenti. Ne ergo æger nimis irritetur, fimulque ut diarrhæa refrenetur; ordinatum fuit decoct. cort. fimplex (quod ex unc. una cort. peruv. paratur) ad libram unam aquæ, laudani liquid. gutt. quindecim; relictis cœteris medicamentis hefternis. Vinum porrectum fuit ad libr. unam.

Vespertino tempore calor naturalis quidem & lingua non adeo sicca cutisque mollis, attamen propter debilitatem duo vesicantia ad brachia applicata fuerunt.

Die 12mo morbi. Per noctem delirium & sudor magnus — alvus clausa. Hodie subsultus tendinum frequentes, levis oculorum phlogosis, oris foetor, sitis magna, pulsus inconstantes quidem & lenti ad 52 ictus, attamen elevati, duri, pleni — addita fuit serpentaria radix ad drach. tres decoct. cort. libræ unæ & syrup. aurant. unc. una — ut capiat more solito. Vini libra una.

Vesperi bis vomuit æger, tendinum lusus frequentiores, tremores totius corporis hinc inde. Medicina eadem.

Die 13tio morbi. Nox quieta, sudor levis, delirium imminutum, cutis calor naturalis, pulsus quidem naturali non frequentiores duritiem tamen non deperdunt, digitos ferientes, instar pulsuum illorum inflammatoria febri laborantium. Disparent petechiæ, facies fit hilarior; rubent genæ; vires coporis & animi incrementum ceperunt — pruritum in pectoris abdominisque regione accusat — *sitis magna.* Medicina hesterna, diæta quarta.

Die 14mo morbi. In singulis melior ægrotantis conditio: sitis tamen urget pulsumque durities. Medicina omni trihorio. Diæta quarta.

Die 15io morbi. Convalescit, sitis autem perdurat. Medicina nulla. Diæta tertia. Vini lib. una.

Diebus 16 & 17mo convalescentia manifesta, sed sitis vix sedanda. Vini libr. dimid. — diæta dimidia. —

Die 18vo morbi vesperam versus inopinato exsurgit nova febris exacerbatio, inflammatorium morbum portendens, pulsus duri, pleni, calor auctus, rubent genæ, & cutis aret; absque data causa (an non a diæta nimia?) Dixit illustr. Frankius, si morbus sic continuaret, venam certe tundendam fore, interim adhuc caute nobis incedendum esse in ægrotante jam adeo debilitato. Hinc præter decoct. hordei, & diætam strenuam nil ordinatum fuit.

Die 19no morbi. Febris perdurat, pulsus pleni ac duri, calor siccitasque oris augentur, nondum illustr. Frankius ausus est aliquid contra hunc morbum moliri: jussit: in diæta stricta potuque multo perseverandum. Vespertina autem

tem exacerbatio vehementior hesterna fuit, hinc præscriptum

℞. Pulp. prunor. unc. duas
cremor. tartari drach. unam cum dimid.
solve in aquæ unc. sex d. sign.
omni bihorio vasculum medium.
Diæta quarta — Vinum nullum.

Die 20mo morbi. Alvus quinquies mota, & vespertina exacerbatio jam multum imminuta, per noctem largus sudor, & matutina hora jam plane sine febri, os humidum; (hæc cita convalescentia, cum tantæ aderant febriles turbæ, clare demonstrat, diætæ errorem huic incendio fomitem præbuisse, excusso hoc, omnia siluerunt. Nam si inflammatoria fuisset morbi indoles, certe hoc exiguum debilitans remedium tam magnum levamen præstare non potuisset. Saburras autem gastricas sæpe inflammatorium stadium mentiri, inter alios, Stollius egregie exposuit) ergo præter decoct. hordei nil porrectum fuit. Diebus succedentibus ad 26. morbi diem convaluit; & hac die sanus nosocomium deseruit.

Vidimus confirmata Celsi dicta: pulsum rem esse falacissimam. Re vera in hoc ægrotante pulsus duri atque vibrantes fuerunt, quemadmodum in febri inflamatoria esse solent;

lent; ſemper fuit vino deditus, & conſtanti gavisus eſt valetudine, ita ut mirati ſimus egegium noſtrum Profeſſorem ad roborantia confugiſſe; ſed epidemia regnans nervoſa, debilitasque ſumma, expertiſſimum virum ad hanc methodum impulit, de qua & optimum & repentinum vidimus effectum. Præcipue autem docuit veram morbi indolem ſingularis vultus moeſtitia; „precor, ſæpe dixit illuſtris vir, „precor, ut totam veſtram attentionem adhi„beatis in ægrotantis vultum; unde multa dia„gnoſtica ſigna ſunt depromenda." De hac re multum venerabilis egit vetuſtas; & præcipue magnus Baglivius, jubens in magnis malis ſemper faciem inſpiciendam. In praxeos medicæ libr. I. de voce & facie in acutis.

HISTORIA II.

Pleuro-peripneumonia cum febre inflammatoria.

Puer 13 annorum, antea ſanus, hac hyeme jam quinquies paſſus eſt pleuritidis inſultus, prope fere die evaneſcentes. Die 31mo Decembris autem, correptus fuit horrore & ſubſequente calore haud diu tamen durante, mox inſecutus eſt dolor punctorius in latere ſiniſtro, nec non amarities oris, vomituritiones, nauſea & dedolatio magna aderant.

Sum-

Sumto verſus veſperam purgante ex pulvere jalapp. ter alvum depoſuit & multam bilem cum ſanguine (ſi ipſi ſit fides habenda) vomitu ejecit, absque levamine.

Altero die noſocomium petenti, ſecta fuit vena, & decoct. emolliens accepit.

Die tertlo morbi poſtmeridiem in ſcolam practicam delatus exhibuit, præter enarrata adhuc ſequentia; reſpirationem difficilem, tuſſim autem moderatam, pulſum durum, linguam ſiccam, rubet facies, & hypochondria tenſa dolent attactu. Cum manifeſta adeſſent peripneumoniæ ſigna, emiſſus fuit ſanguis ad unc. decem, & fomentnm emolliens ad latus affectum; interne

℞. Cremor. tartar. drach. ſex
pulpæ tamarind. unc. duas
ſolv. in aquæ commun. unc. novem. Omni bihorio vaſculum.
Clyſter emolliens.

Die 4to morbi. Nox inquieta. Mane pulſus paulisper molliores, reſpiratio autem adhuc difficilis; urina rubra, atque ſanguis emiſſus cruſta lardacea obtectus. Continuatur in heſternis medicamentis. Veſperi autem anxietas pectoris magna, dolor punctorius ſpiritum præcludens, pulſus duriores ele-

va-

vati, calor cutis auctus, sudat. Alvum crebro deposuit. — Venæ sectio ad unc. octo, & decoct. hordei cum nitri drach. una. —

Die 5to morbi. Præter pulsuum celeritatem omnia meliora, sanguis hesternus corio phlogistico obductus. Contin. in decoct. hord. cum nitro. — Vesperi omnia symptomata peripneumoniæ recruduerunt, diarrhæa multa æger per diem laboravit — levamen ergo iterum in phlebotomia quæsitum est. Fomentationes emollientes ad locum dolentem.

Die 6to morbi. Nox quieta: sudor universalis. Diarrhæa imminuta, sanguis corio lardaceo tectus, urinæ tinctæ, pallet facies atque genæ rubent; nec non & genua dolent, quem dolorem jam heri percepit æger. Pulsuum durities atque respiratio impedita adhuc pectus affectum exhibent —. Adest sitis atque sputa pauca ejiciuntur; illustris Frankius ad levem sudorem proliciendum præscripsit

℞. Aquæ flor. sambuc. unc. quatuor
spiritus minderer. unc. unam cum dimid.
oxymel. simplic. unc. unam.
sumat more solito.

Vesperi, remedio mane dato sudor proliciebatur, nec non & parva diarrhæa; nunc dolor punctorius auctus — aret cutis — pulsuum ali-

qua

qua inconſtantia, & hinc inde ludunt tendines. Ordinatum fuit:

℞. Polygal. ſenekæ unc. dimid.
coque leniter in aquæ commun. ſuffic. quantit. colat. unc. decem adde
ſyrup. althææ unc. unam. Capiat more ſolito.
Duo veſicantia ad ſuras.

Die 7mo morbi. Nocte æger propter tuſſis vehementiam dormire nequivit. — Mane omnia ſymptomata peripneumoniæ urgent. — Sputa nulla — urina rubra, admodum celer pulſus; nil mutatum fuit in medicamentis. — Veſperi exacerbatio non tanta, pulſus molliores, ſed dolor punctorius ſævit in latere affecto, ad genua autem ex integro diſparuit. Applicatum fuit veſicans ad latus. Nox inſecuta inquieta, vomitu bis repetito decoct. polygal. ejecit. —

Die 8vo morbi. Dolor lateris punctorius ex integro evanuit — omnia ſymptomata meliora, amarities adeſt oris. Sepoſitum fuit decoct. polygal. & præſcriptum infus. ſambuc. unc. quatuor, ſpirit. minderer. unc. duæ, ſyrup. althææ unc. dimid. omni bihorio cochlearia duo. Veſperi exacercatio fere nulla, reſpiratio niſi ex profundo fit, non impedita. Præter fomenta emollientia ad pectus nil ordinatum fuit.

Die

Die 9no morbi. Nox tranquilla, tuſſis nulla; reſpiratio bona, dolor nullus. decoct. hordei. Diæta quarta.

Die 10mo & 11mo Convaleſcens.

Die 12mo & 13tio adhuc apud nos hæſit. 14to autem morbi die ſanus a nobis dimiſſus fuit.

Ex dolore illo vago nunc genua nunc latus occupante, ex cito levamine, quod attulere veſicantia, ſecundum Pringlii & Stolii conſilium, ad partes affectas applicata; clare patet, hic, rheuma ſimul cum febre inflammatoria junctum fuiſſe. Quare ergo illuſtris Frankius, jam ſexto morbi die, ubi adhuc inflammatio viguit, uti ex ſymptomatibus enarratis videndum, jam lene ſtimulans præſcripſit? (acetum autem ammoniacale inter lenia ſtimulantia attinere, egregius vir ipſe docuit, nec non hoc remedium adhibuit, ubi lenia excitantia indicata fuerunt) & nunc ſecunda naſcitur quæſtio: cur in veſpertina exacerbatione, ubi dolor ſimul cum pectoris anxietate incrementum ceperunt, ad polygal. ſenek. infuſum, inflammationi cum vera febri inflammatoria contrarium, confugit? & effectus hoc docuit; nam æger ob tuſſim vehementem dormire nequivit, quod forſitan altero die quo-

que

que exacerbationis tempore accidisset, ni æger medicamentum vomitu rejecisset! An propter celeritatem inconstantiamque pulsuum, tendinumque lusus? Sed hæc symptomata quoque sub inflammatoria febri, præcipue in sensibilioribus fœminis puerisque, contingere, vir egregius aliquot tempus post, in scola practica ipse docuit; dicens: non semper a celeritate ictuum arteriarum, tendinumque lusu, ad nervosum statum morbi concludendum esse; cum hæc, urgente vel febre inflammatoria vel gastrica saburrà, vel etiam eruptione exanthematis alicujus, apud sensibiliores non raro occurrant. Re vera, sic & res se habet, cum aurium susurru, qui instanti sanguinis e naribus expulsione, uti jam Hippocrates in coac. prænotation. annotavit, in doloribus capitis apud histericas præcipue, in coryza, in cynanche quacunque & in febribus cum saburra gastrica, persæpe locum habet; & nuper juvenem tractavi, qui febri sat forti, cum aurium tinnitu & tendinum lusu ex saburrali causa, laboravit; lenibus evacuantibus brevi restitutus fuit. Vellem illustrem Frankium, quoque fusius egisse de fallacitate symptomatum nervosorum; nam sæpe adest dolor capitis supra orbitas, aurium susurrus, tendinum lusus, inconstantia pulsuum, attamen urget vel sthenica febris, vel locale malum. Quoties non audivi a junio-

ribus medicis, adeſt aurium ſuſurrus, ergo eſt febris nervoſa, & exemplum notum eſt, juvenem ad nos veniſſe cum tumente parotide, odontalgia, pulſu conttacto (a vehementia doloris) facie inflata, laſſitudine, & aurium tinnitu, mox, abſente profeſſore, declararunt pro febri nervoſa corticisque decoctum porrexerunt, ſed altero die cum profeſſor vidit ægrotantem, qui manifeſta exhibuit ſymptomata febris inflammatoriæ, rejecit corticem, & cum methodo antiphlogiſtica brevi ſanatus fuit. Non aliud eſt cum delirio. Delirium a ſtagnante colluvie in primis viis naſci poſſe, Stollius egregie expoſuit: ſed ego obſervavi apud hiſtriones alicujus momenti, qui magna imaginatione pollent & memoriam rebus non ſuis exercent, nec non & vino indulgent; hoſce jam a minima febre delirare; & nuper virum hoc munere fungentem & leniſſima febri laborantem, tractavi, qui ambulando jam mente captus fuit. Sic & non multum valet, ſi concludimus: prægreſſæ ſunt cauſæ debilitantes, ergo eſt febris nervoſa. Quoties non in carceribus, ſub ſummis corporis atque animi ærumnis viderunt in arte medica expertiſſimi viri, veras febres inflammatorias? Ubinam magis prægrediuntur cauſæ debilitantes, quam in puerperis, attamen fere omnes auctores, qui de puerperarum morbis ſcripſerunt, fatentur, aliquando febrim

brim puerperalem inflammatoriæ indolis esse posse? Certe multum debemus Brunoni, viro acuti ingenii, qui restauravit pristinum, atque oblivioni fere traditum Hippocratis effatum: „Medicina additio est, & subtractio, & „eorum quidem, quæ exsuperant, subtractio; „eorum vero, quæ deficiunt, additio. Qui ve„ro istud optime facit, is optimus medicus „æstimandus est, quique plurimum abest, ab „eo præstando, is plurimum in arte medica „deficere censetur." a) Nec non multum contribuit ad refutandam pristinam theoriam, omnia ex humoribus derivantem, humanumque corpus vitali principio donatum, ut machinam hydraulicam, sistentem, sed ut celeberrimus Frankius ipse monet; „adhucdum „non sat elaborata est hæc theoria, neque „experientia confirmata, ut possit sine maxi„ma cautela ad praxim applicari, & Wei„kardius cœco impetu dogmata Brunonis se„quens, plus damni quam emolumenti, huic „doctrinæ attulit. Jam Swietenius monet: „nil magis damnosum fuisse arti medicæ, quam „generalia illa morborum nomina, quæ mi„nus attentos in pessimos errores quandoque „deduxerunt b)."

H I-

---

a) Hippocrates de flatibus. sect. III. Edition. Fœsii.
b) Switenii Comentar. Tom. II. aphor. 634.

HISTORIA III.

Febris catharralis nervosa.

Puella 17 annorum, antea sana, decem ante dies febrili insultu cum dedolatione artuum correpta fuit, accessit capitis dolor & tussicula, appetitus jam ab initio fuit deletus; sic per novem dies, hæc symptomata inordinate redierunt. Primo Januarii, morbi die decimo, clinicum petiit exhibens pulsum naturali celeriorem, tensum, plenum, caloremque auctum, cephalalgiam atque lassitudinem summam. Sitis fuit magna cum linguæ siccitate, appetitus deletus sine nausea tamen, respiratio bona, facilis, decubitus in utrumque latus possibilis; tussis hinc inde: alvus clausa. Ob anni tempus prægressumque catharrum, catharralem hanc febrim nominavit illustris. Frankius venamque tundere jussit ad libram unam — lene quoque eccoproticum ex mann. unc. duabus cremor tartar. unc. una in aquæ fervid. libr. una solut. ut capiat omni bihorio vasculum, præscripsit.

11mo morbi die. Aucta cephalalgia, turbidi oculi, lingua sicca, faucium dolor, tussis, sitis, tendinum subsultus, pulsus plenus, celer, cutis non mollis, urinæ tinctæ, alvum quater deposuit. Omisso purgante, spirit. min-

mindereri unc. duæ in aquæ flor. sambuc. unc. sex cum oxymel. unc. una porrectum fuit, ut omni bihorio duo capiat cochlearia. Decoct. salep. pro potu. Clyster emolliens. Versus vesperam apparent maculæ cæruleæ, evanuit faucium dolor. Continuandum in spiritu mindereri. Clyster emolliens.

12mo morbi die. Somnus deliriis interruptus, rubet facies, conqueritur de summa lassitudine, ludunt tendines, calet multum; aucta est cephalalgia, vires prostratæ jacent, mollescit pulsus atque auris dextræ susurrus adest. Respiratio tamen libera, alvus semel mota. Propter defectum virium vitalium, ordinatum fuit: decoct. cort. peruv. unc. undecim, sacchar. albi drach. duas, omni bihorio capiat vascul. medium. Fomenta emollientia ad aurem — & ad abdomen, quia tensum reperiebatur, quod auctum fuit in vespertina exacerbatione, evanuit autem auris dextræ susurrus. Medicamenta eadem.

13mo morbi die. Lene iterum per noctem delirium. Pulsus magis evoluti, tussis parca, cæterum ut heri. Vesperi autem manifesta exacerbatio, tussis valde aucta, caput lædens, adest pectoris oppressio, pulsuum summa celeritas, atque inconstantia, dolet abdomen, urinæ parcæ, stupor urget. Omissum decoct.

cort.

cort. & emulſio cum gummi. arabic. præſcripta fuit.

14to morbi die. Delirium de nocte, auditus gravis, pulmones obruti, pectus oppreſſum ſub inſpiratione tuſſis, cum ſputis, ſanguine non pauco, mixtis, vacillant arteriarum ictus. Præſcriptum fuit. ℞. Polygal. ſenek. drach. tres coq. leniter in decoct. cort. unc. novem, adde ſachar. drach. duas. Omni bihorio vaſcul. medium. — Veſperi admodum male ſe habuit ægra, vomuit per diem: ſepoſitum fuit medicamentum, & emulſionem accepit. — Alvus ſemel ſoluta.

15to morbi die. Convulſiones hinc inde. Pulſus celeres, ſubduri atque ſuppreſſi; urinæ rubræ, perſtant cætera heſterna ſymptomata, ordinatum fuit decoct. cort. unc. novem camphor. mucilag. ſubactæ grana quindecim. Omni bihorio vaſcul. medium. Veſicantia ad ſuras. — Veſperi pulſus exiles, inconſtantes, ſtupor, oculi moeſti, rubedo faciei, calor, delirium placidum, artuum gravitas — medicamenta eadem.

16to morbi die. Tam cephalea quam pectoris anguſtiæ increſcunt, ſuſpirioſa eſt reſpiratio, minus tamen moleſta in ſitu erecto, concidunt vires vitales, alvus bis mota. In-

ſi-

ſiſtendum in ſtimulante medicina. — Veſperi remiſſio nulla, hinc conſtanter medicamentorum ordinatorum uſus, quamquam bis vomitu hæc ejecerit.

17mo morbi die. Deliria nocturna, maſticatio continua, corporis jactatio, urina parca, adſpectus lugubris, cutis ſicca, perſtat pectoris anguſtia, pulſus non adeo frequentes, ſed duritiem aliquam exhibent. — Moſchi grana ſex in aquæ flor. ſambuc. & ſpirit. minderer. *aa.* unc. tribus. Omni bihorio exhibebantur inde cochlearia duo. — Veſicans ad pectus — clyſter emolliens — Veſperi pulſus vix non naturalis, reſpiratio autem ſuſpirioſa admodum, nec non corporis jactatio; accedit ſymptoma adeo a divino ſeni in pectoris morbis damnatum, ægra vult erecte ſedere — ſingultus adeſt atque tremor pedis dextri. Bis alvus mota. Inſiſtendum in remedio matutino tempore ordinato.

18vo morbi die. Delirium mite, ructus frequentes. Palleſcit facies, auditus gravis, oculi mœſti, maſticatio & triſmus, ſputa pauca difficile prodeuntia, reſpiratio levior in ſitu erecto, cephalea urget, ſumma pulſuum inconſtantia; iterum ad decoct. cort. confugimus cum infus. ſerpent. radic. drach. duabus & ſyrup. unc. una — clyſma emolliens. —

Vesperi convulsiones malis accesserunt; *sed respiratio in melius mutata, profunde atque optime sine tussi inspirare potest aegra*; pulsuum adest æqualitas — ter alvum deposuit. Continuandum in medicamentis.

19no morbi die. Nox inquieta, convulsiones sævierunt, evomuit medicinam, alvum pultaceam ter deposuit. Sed matutina hora omnia in melius, respiratio felix, calor naturalis, transpiratio levis, pulsus durities autem & cephalalgia non cessant. Abstinuit illustr. Frankius a cortice nec vinum porrigere ausus est, ne nimis irritetur ægra. Moschi grana tria cum sachar. scrup. uno omni bihor. porrecta fuerunt. — Vesperi convulsiones quoque remiserunt. Continuatur in moscho. — Clyster emoll.

20mo morbi die. Placidus somnus fessos habebat artus: adspectus hilaris, oculi læti, cephalea imminuitur, cutis tractabilis, urina cum sedimento levi. Alvus bis mota. Medicina nulla. — Vesperi madet cutis, & omnia bona.

21mo morbi die. Nil conqueritur nisi de summa corporis debilitate. Diæta aucta & medicina nulla.

Sic

Sic magis atque magis ad ſe rediit & 20mo Januarii 31mo morbi die ex integro reſtituta noſocomium deſeruit.

Nondum hoc tempore, eximius Vir, doctrinam de inflammationibus cum febre nervoſa incedentibus, methodumque ſtimulantem poſtulantibus, expoſuit, & magnis admirandisque exemplis confirmavit; ita ut nos, priſtinæ ſcolæ penitus dediti, ubique ſere veras inflammationes videntes, & ubi defuerunt, de occultis ſomniantes, de quo nuper pulcherrime actum fuit a), quaſi ſtupefacti ſtetimus, cum illuſtr. Frankius huic puellæ, difficulter reſpiranti, de pectoris oppreſſione ſumma conquerenti, cum tuſſi vehementi ſub profunda inſpiratione aucta, & ſputis cruentis, corticem, radicem polygal., aliaque ſtimulantia præſcripſerit; ſed felix eventus apud plures, veritatem hujus methodi docuit, merito inter incrementa numeranda, quæ ars noſtra, novis temporibus cepit; quamquam de his jam multum Huxhamus egerit, & Stollius ipſe in pectoris inflammationibus cum vero virium vitalium defectu, cardiaca commendaverit b).

 Hoc

a) Journal der Erfindungen ꝛc. 4tes Heft. IV. Stück.
b) Stollii aphoris. de peripneum. vera. aphoris. 183.

Hoc ſolum monendum erit, quod illuſtr. Frankius in initio hujus morbi, ſine cauſa ſat manifeſta venam tuderit, & in primis diebus dubius quaſi hæſerit, an hæc febris ad ſtheniam, vel aſtheniam attineat; ſed quam difficile ſit, rectam morbi indolem, ingruente nova epidemia ſtatim noſſe, magnus jam Sydenhamus docuit, qui de epidemicis morbis agens annectit „novo gliſcente malo, anceps „rurſum hæreo, qua mihi via inſiſtendum, „ut ægris ſubveniam, ac proinde niſi ingen„ti adhibita cautela, intentisque omnibus „animi nervis, vix ac ne vix quidem poſſim „efficere, ne unus aut alter eorum, qui ſe „primi meæ curæ commiſerint, vita pericliten„tur, donec inveſtigatio jugiter, tandemque „perſpecto morbi genio, ad eundem perdo„mandum recto pede & intrepidus denuo „procedam a)."

HISTORIA IV.

Tenia expulſa.

Puella octodecim annorum, laxa compage, vitam ſidentariam degens, tenia laborat. Vidit enim jam anno elapſo, tempore quo pri-

a) Sydenham de morbis epidemicis. Caput II.

primum menſtruata fuit, fruſtula hujus hoſpitis, quæ ſimul cum alvo excrevit & conſervavit. Poſtea interdum cordis palpitatione, lypothymiis & cardialgiis cum crebro in oris cavum ſalivæ affluxu, vexata fuit: cætera ſymptomata teniæ ſolita, ægra ſatis in ſe attenta, nunquam obſervavit. Cum hæ palpitationes cordis ſimul cum lypothymiis & hinc inde articulorum teniæ excretiones perdurent, & copia ſalis mirabil. Glaub., quam foris ingeſſerat, nullum attulerit levamen, 15to Januarii in noſtra ſcola auxilium petiit. Accepit pulver. radic. filicis drach. tres, dividantur in tres partes æquales, bis de die unum.

16to Januarii veſtigia teniæ nulla. Continuatum fuit in filicis uſu, & inſuper mane ac veſperi cochlear. olei ricin. americani exhibebatur. — Veſpertino tempore nondum adhuc ſumto oleo, fruſtula teniæ egeſſit, ubi manifeſte videndum erat, teniam eſſe ſolium Linnæi.

17mo Jan. Idem factum eſt, cum jam oleum ſumſerit. Continuandum.

18vo Jan. Tenia nondum excreta, inſiſtendum in ricini olei uſu, ſed omittendi pulve-

veres ob faucium dolores, difficultatemque deglutitionis. —

19no Jan. Hesterna symptomata, sed ventris cruciatus recruduere. Omni trihorio cochlear olei ricini.

20mo Jan. Pertinax hæret tenia, faucium dolores, & ventris ægram vexant; sepositum fuit oleum, in quo forsitan origo colicorum dolorum est quærenda, & præscriptum fuit

℞. Stanni granulati puriss. anglic. unc. una, fiat cum suffic. quantit. melis electuarium, detur ter de die cochlear.

21mo Jan. Dolor faucium molestus; sed nec rubent nec tument fauces, nec muco albo obteguntur. Tenia nulla; medicina eadem,

22do Jan. Articuli teniæ excreti fuerunt; silent faucium difficultates, quia stannum granulatum non sat bene præparatum fuit, limaturam stanni in electuario adhibuimus. — Vesperi sensum reptationis, quasi egredi vellet tenia, ægra habuit. Continuandum in electuario.

23tio Jan. Dolor dentium, atque alvum bis cum torminibus deposuit. Tenia nulla. Electuarium continuandum.

24to Jan. Ægra ſub alvo bene elaborata & figurata, teniam quatuor & dimidium ulnarum viennenſium excrevit; eſt tenia ſolium Linnæi, pars maxima colli filiformis adeſt, deeſt autem caput. Ægra inſcia hanc depoſuit. Bene ſe habet. Sumat quod reliquum eſt.

25to Jan. Sine medicina. 26to Jan. Cum aliquibus doſibus limaturæ martis ad grana quinque, cum ſachar. ſcrup. uno, propter chloroticum habitum. — Sana ad ſuos demiſſa fuit.

Nil illuſtr. Frankius, a ſtanno, largiori licet porrecto manu, timet, ſi purum eſt; annectit celebris Vir, ſe experientia edoctum fuiſſe, optimum remedium contra teniam ſolium Linnæi ſiſtere ſtannum; reſeram adhuc aliquos caſus, ubi eximios edidit effectus; vidimus collum vermis, inſtar fili, cum lato corpore ſimul excerni, ſed quod fatendum, nunquam adhuc caput ab hoc remedio expulſum deteximus. Puella, cujus hiſtoriam nunc memoravi, ad finem menſis Julii ad noſocomium rediit, conquerens ſe tenia iterum affligi, & re vera fruſtula prodierunt cum alvo; dato ſtanno expulſa fuit iterum pars magna hujus vermis, ſiluerunt ſymptomata urgentia, ita ut ſana reviſerit parentes.

CO-

COROLLARIUM I.

Variolæ difcretæ.

Juvenis octodecim annorum, curfum hujus exanthematis, fine medicina fere, feliciffime abfolvit. Coopertus fuit undique variolis multis, præcipue facies (ad quam fummam ac fere unicam attentionem in variolis adhibendam effe, magnus variolarum pictor, Sydenhamus monet a) copia illarum intumuit; falivatio nulla fubfecuta eft; unicum moleftum fymptoma, fuit gingivarum tumor, inchoante fuppuratione. Intumefcentiam pedum, quia æger extra lectum verfatus eft, quies fola difpulit. Tempore eruptionis quidem dolor in pedum plantis obortus eft, quia ob cutis duritiem ibidem, puftulæ erumpere non potuerant; fed mox filuit, cum cataplasmatibus emollientibus locus eruptioni conceffus fuerit. Nec non cultro aperienda nobis fuiffet cutis indurata, ni emollientia votis refpondiffent. —

CO-

a) Sydenham Opera medica. Tom. I. fectio III. Capút II. de variolis.

COROLLARIUM II.

Scorbutus.

Vir ultra quadraginta annos natus, duris laboribus miseram sustinens vitam, jam a longo tempore labe pulmonum laborat, prodeunt sputa suspecta, puriformia, in latere sinistro decumbere nequit, nec profunde inspirare potest. Ab aliquot mensibus intumuerunt gingivæ, sanguinemque levissimo attactu fuderunt; accessit facies cachetica, tumidula, & debilitas totius corporis, ita, ut laborum non capax lecto affixus hæserit; sic ad nosocomium delatus fuit. Cum æger omuia symptomata ingruentis scorbuti exhibuerit, illustr. Frankius mox decoct. cort. & diætam lautiorem multa cum carne ordinavit, nec non & vinum porrexit; contra gingivas, usus est mellitis cum acido salis marini. Sub hac methodo, spatio quatuordecim dierum, non solum omnia symptomata scorbuti evanuerunt, sed etiam phtiseos minæ siluerunt adeo, ut fere nulla sputa suspecta in conspectum venerint, & spiritus imo ductus sine ullo prodierit impedimento. Sic sanus suos revisit. —

COROLLARIUM III.

Dyſenteria.

Vir aeri frigido, calente corpore, ſeſe expoſuit. Paulo poſt correptus fuit ventris dolore, crebra alvi dejectione multo cum teneſmo, nec non vomituritiones & vomitus acceſſerunt. Cum altero die noſocomium petierit, levem exhibuit dyſenteriæ ſpeciem, nam deſunt & inflammatoria & gaſtrica ſigna, pulſus vix febriles nominandi & vires vitales vigent. Præſcripſit illuſtr. Frankius decoct. cort. cum laudan. liquid. Sydenhami gutt. decem. Siluit quidem dyſenteria, ſed æger flatibus multis præcipue in he atis regione vexatus fuit. Omiſit illuſt. vir corticem & enema emolliens ordinavit. Altero die recruduit alvi fluxus, ſed fere absque dolore; iterum decoct. cort. cum laudano dedit, ſic ſenſim ſenſimque ſpatio aliquorum dierum dyſenteria fugata fuit, & ſanus noſocomium deſeruit.

Sydenhamus & Stollius a), & experientia docuere, tales dyſenterias ſimpliciſſima methodo, potu multo tepido, perſanari; quod

ipſe-

a) Ratio medendi. Pars III. De natura & indole dyſenteriæ. Caput VII.

ipſemet toties olim in noſocomio vidi. — Quare ergo illuſtr. Frankius ad decoct. cort. cum laudan. confugit, quod certe cauſam horum præbuit dolorum & primo die omittendum fuit? — Credo equidem, citius, jucundiusque hunc morbum, ſimpliciſſima methodo Stollii, profligatum fuiſſe. —

HISTORIA V.

Febris nervoſa.

Puer undecim annorum, infantiles morbos bene perpeſſus, matri graviter ex febri nervoſa (putrida auctorum) decumbenti aſſiſtens, 3tio Februarii (ubi jam magnus nervoſarum febrium proventus, in noſocomio undique fuit) ſine prægreſſis prodromis correptus magna artuum dedolatione cum vehementi cephalea, calore & ſiti intenſa, lecto affixus hæſit. Inſecuta eſt tuſſis ſicca, & hæc ſymptomata per quinque dies absque manifeſta remiſſione continuarunt; acceſſerunt ſexto morbi die aurium ſuſurrus, atque petechiæ multæ. Uſus eſt domi lenibus purgantibus; ſed cum in pejus rueret, 7mo morbi die, ad noſocomium delatus, exhibuit caput temulentum, aurium ſuſurrum, adſpectum moroſum, linguam ſiccam, abdomen tenſum, pulſum frequentem, debilem, cutem inperſpi-

ſpirabilem, calorem urentem, diarrhæam levem. Præſcriptum fuit

℞. Decoct. cort. peruv. unc. novem.
laudan. liquid. gutt. quindecim.
ſyrup. cort. aurant. unc. unam; omni bihorio duo cohlear.

Diæta tenuis, aqua pro potu.

8vo morbi die. Somnus nullus, delirium, inquietudo. Æger *bene ſe habere dicit*, anxie ſpiritum ducit, facies eſt livida & cærulea, lingua lignea, ludunt tendines, aret cutis ſudore obducta viſcido, pulſus admodum celeres atque debiles, ſomnolentia magna. Omiſſum fuit opium ex decocto corticis: clyſma emolliens & duo veſicantia ut rubefacientia ad ſuras. Nec non & balneum tepidum ordinatum fuit. — Veſperi, facies parum in melius mutata, ſomnolentia nulla, lingua humida, reſpiratio felicior, non adeo tenſum eſt abdomen, & cutis tractabilior: ſed mente adhuc captus æger, pulſus celeres, atque debiles, tendines ludunt, ſudorque viſcidus cutem obtegit. Inſiſtendum in medicina mane præſcripta, nec non & balneum repetendum.

9no morbi die. Nox quieta; conqueritur de capitis dolore, ſi movetur, rubent

ge-

genæ, oculi lacrymantes, lingua humida, cutis mollior, alvus liquida ter mota, abdomen minus tenſum, pulſus inconſtantes. Inſiſtendum in decocto cort. omni bihorio vaſculum, & cum puer dicat, ſe poſt balneum ſemper melius habere, iterum ordinatum fuit. — Veſperi pauliſper in melius vergit, hinc continuanda medicina.

10mo morbi die. Somnus placidus per totam fere noctem, omnia in melius ruunt, tuſſim ſi excipias, quæ vexat ægrotantem, vires vitales autem incrementum ceperunt. Continuandum in heſternis medicamentis, balneum omittendum. — Veſperi levis exacerbatio, ſed tuſſis ſicca torquet puerum. Remedia eadem.

11mo morbi die. Somnus deliriis interruptus; nunc cutis calor fere naturalis, pulſus magis elevati, ſat pleni, ſymptomata cætera fere evanuerunt; ſed tuſſis ſicca admodum urget. Præſcriptum fuit infus. ſambuc. unc. quinque, aceti amoniacalis unc. una, ſyrup. alth. unc. dimid. Omni bihorio cochlearia duo. Contra tuſſim linctum ex ſyrup. alth. unc. una & mucilag. gummi arabic. unc. dimid. Appetit æger, ideo duo ova conceſſa fuerunt.

runt. — Vefperi. Exacerbatio manifefta, ludunt tendines, calet cutis, pulfus frequentes, inconftantes, & tuffis fummopere urget. Medicamenta eadem.

12mo morbi die. Tuffis omnem ex oculis arripuit fomnum, pulfus frequentes, pleni, difparuere petechiæ, fed miliaria alba, copia magna, in abdomine apparent (quæ in forore eodem morbo decumbente, eodem in loco, in abdomine fcilicet, obfervabantur). Continuata funt remedia hefterna. — Vefperi tuffis urget, ceterum omnia in melius verfantur. Contra hanc, opii granum unum cum fyrup. alth. drach. duabus, aquæ unc. una porrectum fuit, ut inde partem tertiam fumat.

13tio morbi die. Somnus placidus fere per totam noctem, rara tuffis, pulfus frequentes quidem, fed elevati & æquales, miliaria totum abdomen obtegunt. Refpiratio felix. Hauftus falinus repetendus. — Vefperi exacerbatio levis, tuffis autem aucta. Eadem opii dofis. Pro potu decoct. falep. cum infus. liquirit.

14to morbi die. Quieta nox, tuffis rarior, fudor per univerfum corpus, hodie omnia in melius pergunt, milliaria effiorefcunt.

Re-

Remedia eadem. Diæta quarta. — Vespe-ri exacerbatio, cum multa tussi; iterum opii dosis.

15to die morbi. Somnus bonus, sudor profusus, vigent vires, febris vestigia dispa-ruere, miliaria perstant. Remedia nulla: de-coct. salep pro potu. Diæta tertia. — Ad vesperam nulla exacerbatio, tussis hinc inde. Nulla medicina.

16to morbi die. Disparent milliaria, æger bene se habet, præter levem tussim nil accu-sat. Nulla medicamenta. Diæta hesterna.

17mo morbi die. Jam extrlectum per saliquas horas versatur æger. ic convale-centia per 18vum & 19num morbi diem pergebat. 20mo morbi die sanus ad suos rediit. —

Dubio procul hunc puerum contagio af-fectum fuisse, nam & mater & soror hoc tem-pore hac decumbebant febri.

Vidimus eximium balneorum tepidorum usum tum in hoc ægrotante, quam in multis aliis, qui diro hoc la borabant morbo, fere nullam febrim nervosam alicujus momenti sine his tractavimus, & juveni medicinæ studio-

so,

ſo, graviſſime, febri nervoſa multis cum deliriis & petechiis profuſis, decumbenti, adeo profuerunt balnea, ut ſemper poſt horum uſum, pulſus elevatiores, viresque magis erectas exhibuerit, brevique vicit periculoſum hunc morbum.

Quamquam ſagaciſſimus vir firmam non adhucdum ſtabiliverit normam, quando in febribus nervoſis balnea tepida adhibenda ſint, attamen vidimus, ad hæc tunc confugiſſe, ſi cutim aridam, carnemque tenſam deprehendit. —

HISTORIA VI.

Febris nervoſa.

Juvenis medicinæ ſtudioſus, fibræ fortioris, bene nutritus, plethoricus, fere ſanus per omnem vitam, ſæpe hac hieme tuſſi laboravit ſicca, nec non per ſat longum tempus opthalmia vexatus fuit. Menſibus elapſis intenſe incubuit ſtudiis.

25to Februarii (ubi undique viguit epidemia nervoſa) frigore correptus fuit, inſequente mox calore, cum valida cephalalgia, ſiti intenſa, tuſſique ſicca; pulmo ſiniſter obtuſe doluit, & profunda inſpiratio ſine dolore

lore & tuſſi perfici non potuit. Acceſſit laſſitudo ſumma, rubuit urina, ſudor nocturno tempore profluxit; ad quem ciendum potu theato uſus eſt. Sic fuit prima morbi dies.

Secunda morbi die. Remiſſio manifeſta; matutinis horis exivit; ad veſperam autem heſternus inſultus rediit aucto cum vigore.

Tertia morbi die. Remiſio quædam mane; ſed urget cephalalgia, palpebræ ſunt graves, tenſæ; ardent oculi, reſpiratio difficilis; dolor per thoracem extenſus ſpiritum pauliſper præcludens; febris multa, tuſſis aucta, urina parca, alvus mucoſa quater a ſumto purgante depoſita, æger lecto affixus. Per noctem ſudores profuſi.

Quarta morbi die. Atrox capitis dolor, pulſans, regionem ſupraorbitalem quaſi diſfringens, ardent oculi, jactatio corporis magna, reſpiratio difficilior, pulmones admodum ſenſibiles ab aere inſpirato male afficiuntur, decubitus ad latera tuſſim movet; pulſus plenus & durus. — Juvenis metuens peripneumoniam & inde ſecuturam phtyſin, ſuæ familiæ ſolitam, venam ſibi tundi juſſit. Remiſerunt omnia ſymptomata, præcipue cephalea; nocte ſudores largiores.

Quinta morbi die. Remiſſio quædam mane, ſitis urget: ſumſit potum cum ſucco limoniorum. Hac die jam dyſuria cum ardore & tenesmo. Octies alvum depoſuit. Sudor rediit nocturnis temporibus.

Sexta morbi die. Recruduerunt ſymptomata, poſt aliqualem remiſſionem matutinam; ad alvum coercendam mixturam ex aqua menthæ cum Laudano liquido ſumſit. Levamen ad veſperas, & placidior ſomnus inſecutus. Sed hinc inde jam maculæ petechiales in conſpectum veniebant.

Septimo morbi die. Cum nullam mitigationem ſymptomatum ſenſerit æger, in ſcholam practicam deportari curavit; ubi præter jam ſupra enarrata exhibuit dyſuriam multo cum tenesmo ardore — ægro jubente, catheder immiſſum & eduxit urinam parcam rubentem — Pulſus inconſtantes, vires dejectæ; inquietudo magna. Præſcriptum fuit ad vires erigendas ℞. polygal. ſenek. unc. dimid. coq. in libr. una aquæ omni bihorio vaſcul. — decoct. hordei pro potu. Clysma emolliens. Nox inſecuta inſomnis, urinam ſponte miſit, bis evomuit medicamentum, alvus ter mota fuit.

Octavo morbi die. Dolet caput ſummopere, rubent oculi facieſque, ſitis ingens,

non

non naufeat cibos, urina craffa, *atra*, non tingens, refpiratio difficilis, anhelofa, fufpirat frequenter. Sed abdomen eft molle, pulfus conftantes, ad plenos magis accedentes; fymptoma autem, quod admodum difplicet, eft anxietas magna, ita ut æger quafi impatiens medicorum interrogationum, ab uno in alterum fefe devolvat latus, nec per momentum quiete decumbere poteft. Continuatur hefterna medicina addito tamen infus. liquirit. ad gratum faporem. Veficans ut rubefaciens ad nucham.

Ad vefperas exacerbatio, vomuit medicamentum, calor auctus; pulfus frequentes, inconftantes, interdum, duri, vibrantesque; anxia refpiratio, jactatio continua; dedolatio fumma; fitis tamen minor; urina craffa profunde tincta cum fedimento craffo, atro. —

Dubius hæfit illuftr. Frankius, quid moliendum, debilitas fumma ufum excitantium poftulat, fed obftat nimia ægrotantis irritabilitas — interim nil quam emulfionem propofuit,

Hora undecima, placide dormivit; expergefactus medicinam fumfit — hora tertia matutina de æftu conqueftus, levius tegi juffit — verfus quartam derepente bis excla-

mat, linguam exerit, oculos detorquet, sud res viscidi de fronte manant, brevi exstirpat convulsus.

Cadaver forte ad scolam anatomicam delatum exhibuit: inflammationem superficialem (erysipellaceam) pulmonum, eandemque intestinorum, quæ jam in Gangrænam abiverant: nec non phlogosin superficialem late rubentem interioris tunicæ totius systematis arteriosi & venosi. Cor inflammatum & cordis valvulas maculis gangrænosis obtectas; renes inflammatos, duos cum materie puriformi ex conulis facile exprimenda; vascula piæ matris magis injecta, urinalem autem vesicam sanam. —

Vidimus in hoc ægrotante confirmatum, divini Senis in coac. Prænotat. effatum: " Pe„ stifera autem est inter urinas (in acutis) quæ „ & hypostasin habet nigram, & ipsa quoque „ est nigra. "

Jodocus Lommius in medicinal. observat. libr. III. sic dicit: " Urina nigra, si rubram „ sequitur, extremi caloris index est; in mor„ tis periuculam vertitur, idque eo ma„ jus, qno ea ipsa est paucior, quoque id, „ quod in ea subsidet, nigrius est. "

Idem

Idem quoque de urina nigra dicunt & Profper Alpinus, & multi alii.

HISTORIA VII.

Morbilli.

Fœmina cælebs 46 annorum nec morbillos nec variolas in juventute perpeffa; infantibus morbillis affectis inferviens, fecundo Februarii correpta fuit horrore, calore & tuffi ficca inani; ad clinicum delata, exhibuit: faciem moeftam, rubram, oculos lacrymantes, cephaleam, anxietatem; refpirationem difficilem; tuffim vehementem, fputa tenacia; pulfus febriles irregulares. — Linguam puram, appetitum nullum; fitim intenfam, urinarum emiffionem dolentem (qua jam antea laboravit) corporisque jactationem. Præfcriptum fuit: ℞, infuf. fambuc. unc. fex. fpirit. minderer. unc. duas cum dimid. fyrup. alth. unc. dimid. decoct. falep. pro potu.

Secunda morbi die. Jam exanthema undique apparet; tuffis gravis, clangofa, dolens, refpiratio paulifper liberior, pulfus celeres non duri, dedolatio perftat, fputa puriformia. Continuandum in medicina.

Ter-

3tio morbi die tuſſis gravior, dolet caput, ſuſurrus aurium adeſt; difficultas reſpirandi evanuit, pulſus elevati vix non naturales, inſiſtendum in aceti ammoniacalis uſu & in decoct. ſalep.

4to morbi die. Sudor nocte diffuſus per totum corpus, ſumma cum euphoria; dolet autem caput atque tuſſis urget. Medicamenta eadem. Jam palleſcit exanthema.

Quinto morbi die. Diſparent morbilli & omnia in melius. Medicina omni trihorio.

Sexto autem die, ægra de novo dedolationem artuum accuſat, & re vera pulſus ſunt debiliores, timuit illuſtr. Profeſſor tranſitum in febrim noſocomialem, hinc decoct. cort. præſcripſit; cum autem tuſſis admodum urgeat ſomnumque adimat, pulveris. Doveri grana quinque in infuſ. ſambuc. unc. decem præſcript. fuerunt.

Continuato horum uſu per aliquot dies, fœmina priſtinam recuperavit ſanitatem.

Jure inſurgit illuſtr. noſter Profeſſor contra hos medicos, qui acetum ammoniacale, decepti ridiculo nomine ſpiritus Mindereri, adeo timent, ut non ultra drachmam unam vel

unam

unam cum dimidia in libra una alicujus miſturæ præſcribant: „Quid, celeberr. vir dixit „ toties, quid precor a tam parva doſi hujus ſalis neutri ſperare poſſumus?" porrexit vir eximius, omni die uncias ſex, & egomet ipſe, tentandi cauſa unc. tres uno hauſtu cum tinctur. rhei aquoſæ unc. una absque ullo damno ſumſi; & hac hyeme, puero ſex annorum admodum ſenſibili, morbillis cum typho leviori laboranti omni die unciam dimidiam aceti ammoniacalis in mixtura præſcripſi, feliciſſimo cum eventu. Attamen celebris aliquis medicus in conſilio hoc anno palam meam culpavit audaciam, quod mulieri morbillis affectæ cum febri nervoſa unc. duas ſpirit. minderer. in libr. una. decoct. alth. præſcripſerim, moxque ſeponi juſſit, & ſolumodo unc. dimid. in unc. quindecim decoct. alth. propoſuit.

Re vera noſtra ſic dicta materia medica, adhucdum infirmis nititur fundamentis, multisque nugis ſcatet, & hic eſt, ubi doctrina Brunonis, temporis decurſu multum præſtare poſſet. —

COROLLARIUM IV.

Hepatitis.

Vir duris obnoxius laboribus miserrimam degens vitam, habitu cachectico a tribus jam annis tussi molesta chronica cruciatus. Inter labores nunc frigus obvenit, insecutus est calor sudorque simul cum dolore in latere dextro, qui denique sedem in hepate fixit, ibidemque sævit, spiritumque præcludit, decubitum in hoc latere non patitur. Nosocomium petiit cum omnibus signis hepatis affecti, attactum a longinquo fugit, tumet venter, pulsus duri, tensi, non magni; os amarum; spiritus admodum fœtens, appetitus nullus. Secta fuit vena; sanguis corio obductus; porrecta fuere lenia eccoprotica ex mann. cum sale amaro, ad latus affectum linimentum volatile. Dolor autem punctorius nondum cessavit, iterum iterumque sanguis missus & in leniter purgantium usu continuatum fuit; sic post quatuor phlebotomias & alvum quotidie quinquies eductam, siluit hepatitis. Recrudit autem sponte, iterum sanguis mittendus, atque evacuantia administranda fuere; malo iterum redeunte, fracta phlogosi, vesicans ut rubefaciens ad regionem hepatis applicatum fuit, nec non leniter diaphoretica ex spirit: minderer: & infus: flor: sambuc: adhibita fuerant; sic

æger

æger ſanitatem iterum recuperavit, & tuſſis illa chronica fere ex integro ſiluit. Poſt 32dam diem ſanus ad ſuos rediit. Evacuantia hic ſummum levamen attulerunt.

COROLLARIUM V.

Peripneumonia.

Vir dira correptus pulmonum inflammatione menſe Januarii clinicum petiit; poſt novem venæ ſectiones ſigna futuræ criſeos exhibuit, nam ſudor profuſus undique erupit, ſed ob pulſuum duritiem reſpirationemque difficilem illuſtr: Frank iterum venam tundere juſſit — febris mitior & arteriarum ictus nunc potius ad molles accedunt, timuit egregius vir, ne in febrim nervoſam tranſeat. ideo infus: polygal: præcſripſerit, diætamque quartam conceſſerit — forſitan & æger clandeſtine aliquid devoravit — recruduit peripneumonia violenta atque periculoſa, ſanguis quinquies adhuc educendus erat, antequam ſymptomata hujus inflamationis remiſerint, Convaleſcentia inſecuta eſt ſat ſuſpecta, ſic noſocomium deſeruit. Poſt quatuordecim dies rediit æger, de ſudoribus nocturnis debilitateque magna conquerens; faciem exhibuit cachecticam, adfuerunt & pedum œdema & febricula veſpertina ſimul cum tuſſi multa & ſputis ſuſpec-

ſpectis. Mox ſuſpicio nata eſt, pulmones ſuppuratos eſſe, & quamquam pulſus ſat elevati atque ſubduri, attamen hydrops naſcens atque debilitas, roborantium uſum popoſcerunt. Hinc decoct. cort. præſcriptum, & ad tuſſim, ſomnum adimentem ægrumque vexantem, mitigandam; granum dimidium opii omni veſperi porrectum fuit. Cum jam æger ante duos annos peripneumonia laboraverit valida, & modo phtiſeos ſymptomata inſtent, prognoſis infauſta inſtituta fuit. Sed en! ſub methodo roborante rediërunt vires, ſputa fuerunt imminuta. – Prodiit urina multa, concidit œdema; & poſt tres hebdomadas, perfecta ſanitate gaudens, ſuos reviſit.

Hæc pulmonum debilitas, ſimul cum ingruente febricula veſpertina & tuſſi ſicca, omnino phtiſin mentita eſt; corroborantium autem uſus brevi debilitatem atque phtiſeos ſuſtulit minas; ex hoc fonte derivandas eſſe cenſeo, medicorum aſſertiones, qui phtiſin curaſſe geſtant; cum veræ phtiſeos cura extra limites noſtræ artis poſita ſit. Fatetur quoque illuſtr, Frankius: ſe omnes methodos tentaſſe, nec ab ulla levamen vidiſſe. Phtiſis autem ſpuria hinc inde curatur, & hæc eſt illa phtiſeos ſpecies, de que Sydenhamus contendit, omnibus remediis palmam eripere equitationem, additque, haud multo

cer-

certius, cortex peruvianus febri intermittenti medetur, quam equitatio phtisi. 8) Hæc est illa phtisis, ubi forsitan cura a Salvatori proposita conduxit; si unquum talis furiosa methodus prodesse possit. —

Dumas & Petit — darson, qui tractatum Reidii de phtisi pulmonali in gallicum verterunt sermonem, & perpulchris auxerunt animadversionibus, memorant hanc phtiseos speciem, quæ a flacciditate pulmonum & debilitate totius corporis originem ducit & bene annotant: „La distinction exacte des differentes especes de phtisie, est assurement la plus sûre, la plus féconde & la plus negligée des sources precieuses, dans les quelles les médecin doit puiser la connoissance des veritables indications curatives. Sans selle l'art flotte incertain entres les methodes diverses, que l'on propose dans les livres &c.

COROLLARIUM VI.

Colica Pictonum.

Juvenis in officinis laborans, ubi plumbum tractant, colicis doloribus correptus no-

8) Sydenhami opera medica pars I. processus integri in morbis omnibus curandis.

socomium petiit: atroces sunt ventris ærumnæ, pulsus admodum duri tanguntur (quemadmodum in omnibus colicis saturninis esse solent) cæteroquin non multum a statu sano absimiles; porrexit illustr. Frankius, in hoc morbo Stollio penitus assentiens, mixturam cum opio, & post aliquos dies jam evanuit malum, remanens brachiorum paresis, feliciter atque cito, linimento volatili in brachia, præcipue autem in dorsi spinam (ubi origo est nervorum ad extremitates decurrentium) inuncto, fugata fuit.

HISTORIA VIII.

Febris nervosa cum topica pectoris affectione.

Ancilla, catharro affecta, domi purgantibus nec non & duabus venæ sectionibus tractata, sexto morbi die in clinicum delata exhibuit: faciem pallidam, oculos lacrymantes, linguam muco albo obductam, appetitum nullum; respirationem difficilem cum dolore punctorio in sinistro latere, ita, ut ibidem ægra decumbere nequiverit; tussim inanem, siccam; abdomen molle. Pulsus erant vibrantes atque duri. Diarrhæa a sumtis purgantibus perduravit. Facta diagnosi: esse febrim nervosam cum topica pulmonum affec-

fectione exhibitum fuit decoct: ex polygal: senek. drach: tribus ad libr. unam aquæ cum laudan. liquid. Sydenh. gutt. quindecim, ut nimius alvi fluxus cœrceatur — Vesperi eadem medicamenta.

7mo morbi die. Debilitas major; subsultus tendinum, vigente tamen pulsu, diarrhæa continuat. Surditas manifesta — continuatum fuit in hesternis remediis; nec non & vesperi, quamquam levis adfuerit exacerbatio.

8vo morbi die. Aphona ægra, lingua purior, febris quodammodo imminuta, vigent pulsus; sputa multa mucosa; tussis: respiratio autem melior; hac nocte petechiæ erupere; bis solummodo alvum deposuit. Medicamenta eadem: vesicans ut rubefaciens ad brachium, linctum contra tussim. — Vesperi levior exacerbatio.

9no morbi die. Per noctem frigus, somnus inrerruptus, dolent nunc caput faucesque; vox rauca, respiratio difficilis; pulsus duritiem non deperdit. Medicina eadem, omisso tamen Laudano, quia diarrhoea cessavit.— Vesperi exacerbatio manifesta; debilitas major. Præscriptum fuit. ℞. Decoct. cort. peruv. unc. novem aceti. ammoniacal. unc

unc. una cum dimid. ſyrup. ſimpl. unc una ſumat more ſolito. — Pro potn infus. ſambuc.

10mo morbi die. Quies per noctem, urget nunc cephalea; adeſt & aurium ſuſurrus, & oculorum ardor, ſputa multo cum ſanguine mixta, pectus angitur magis; ſudor profuſus, vigent pulſus. Petechiæ evaneſcunt. Medicina heſterna. — Exacerbatio veſpertina.

11mo morbi die. Ut heri; diſparent tamen petechiæ. Nil mutatum in medicina. — Veſperi anxietas atque pectoris oppreſſio; dolor punctorius in latere ſiniſtro. Veſicans ut rubeſaciens ad latus affectum.

12mo morbi die. Quies per noctem, evanuit cephalea; reſpiratio nunc felicior; diſparet punctorius lateris dolor. Vox tamen nondum rediit. Pulſus vigent. Medicamenta heſterna.

13tio morbi die. Omnia in melius præter vocis raucedinem. Appetit ægra Diæta quarta, atque medicina eadem.

14to morbi die. Reſpiratio bona, nullibi dolor. Medicina ac diæta heſterna.

15to morbi die. Convalefcit ægra, nam præter aliquam pulfuum celeritatem nil morbofi exhibet. Medicina omni trihorio.

16to morbi die. Omnia ut heri.

17mo morbi die. Jam redit vox; tuffis penitus evanuit. Appetitus viget. Diæta tertia. Medicina ter in die. Sic convaluit ægra & 21mo morbi die, fana nofocomium deferuit. —

Fateor me dubium anxiumque fuiffe, cum illuftris nofter Profeffor ad corroborantia confugit, non habito refpectu ad fymptomata peripneumoniæ, pulfuumque conditionem; fed celebris vir meliori experientia, adfpectuque ægrotantis nec non Epidemia regnante ductus, audacter ftimulantem adhibuit methodum; quin ipfa fputa cruenta illum abfterruerint; & omnes mirati fumus egregium eventum, citamque convalefcentiam ex tam diro morbo.

Veficantia tam in hoc quam in omnibus febribus nervofis, folummodo ut rubefacientia applicata fuerunt; mox autem detracta, cum rubuerit pars fubjacens; nunquam permifit illuftr. vir ut veficulæ his ciantur; nam 1mo nullius funt momenti, indigemus folummodo ftimulo cantharidum. 2do hæc evacuatio,

tio, quemadmodum omnes evacuationes, debilitat. 3tio in morbis mali moris, non raro in his plagis, gangræna nascitur. 4to ut in eodem loco secunda, imo & tertia vice ac sæpius, aliud vesicans adplicari possit.

Jam Stollius usum vesicantium ad suppurationem promovendam valde restrinxit; sed solummodo detractioni epidermidis sese opposuit, permisit autem, ut vesicula trahatur. En verba hujus magni viri. „Si vesicantia adponerentur, locum vesicante tentatum nunquam permisi epidermide spoliari, sed ea relicta, & adposito siccante remedio deligatio fiebat &c. & paulo inferius." Vim illam cantharidum, qua in totum corpus, atque etiam in pulmones agunt, unice spectans, diuturna loci suppuratione aut peculiari attentione ad locum, quo adplicentur, non egebam. 9)

HISTORIA IX.

Febris nervosa cum topica pectoris affectione.

Juvenis, famem perpessus per diem integrum, & postea avide multos devoravit ci-

9) ratio medendi, pars I, pag. 60.

cibos ; nocte ſubſequente jam inſultu febrili correptus fuit. Altera die ob artuum dedolationem doloremque capitis lectum deſerere nequivit ; ſic per quinque dies domi hæſit, purgantibus multis utens ; ſexto autem die ad noſocomium delatus exhibuit : omnia ſymptomata peripneumoniæ, tuſſim, ſputa cruenta, difficultatem reſpirandi, dolorem punctorium, ſimul cum omnibus ſaburræ gaſtricæ ſymptomatibus ; os amarum, vomituritiones, nauſeam, linguam flaviſſimo obductam muco — & dolorem ad cardiam. Sed pulſus erant debiles, admodum celeres ; cutis ſicca atque calor urens. Hinc illuſtr. Frankius ad virium jacturam reſpiciens debilitatemque ægrotantis, pronunciavit : eſſe febrim nervoſam, cum topica pulmonum affectione ; et mox decoct. cort. ſaturatum cum rad : polygal : ſenek. drachm. duab. inſuſi, ordinavit. Enema emolliens. decoct. hord. pro potu.

7mo morbi die. Symptomata eadem ; lingua flaviſſima ; æger conqueritur de ventriculi oppreſſione. Hinc corticem omiſit & nil quam infus. rad. polygal. ſenek. unc. dimid. propoſuit. Veſicans ad locum affectum. — Exacerbatio veſpertina modica.

8vo morbi die. Somnus inquietus. Reſpiratio admodum difficilis, pulſus debiles,

lingua in margine quidquam purior, ſed in medio flaviſſimo muco obtecta. Medicina eadem. Linimentum volatile ad thoracem inungendum. — Veſperi veſicans ad latus affectum.

9no morbi die. Reſpiratio quidquam melior; dolor autem in latere perſtat; imminuenda doſis polygal. Cætera eadem.

10mo morbi die. Imminuitur pulſuum celeritas, dolor autem punctorius atque linguæ ſpurcities perſeverant. Medicina omni trihorio.

11mo morbi die. Uti heri. Medicina non mutanda.

12mo morbi die, Lingua fit purior, omnis dolor evaneſcit. Appetit. Diæta tertia & medicina eadem.

13tio morbi die. Jam lingua pura eſt; viget. appetitus. Ordinatio heſterna.

14to morbi die, jam extra lectum verſatur, jamque convaleſcit, ita, ut 16to morbi die ſanus ad ſuos fuerit dimiſſus.

Adfuerunt ſigna gaſtrica cum ſumma linguæ ſpurcitie; adfüerant ſigna inflammato-

toria, attamen methodus ſtimulans roborans eximios præſtitit effectus.

Si paulo attentius morbum perlego, quem Stollius ſub nomine pleuritidis bilioſæ deſcripſit 10) non poſſum denegare, me maximam ſimilitudinem inter hanc & noſtras peripneumonias nervoſas invenire; ſymptomata ſere eadem ſunt; ſed forſitan tunc magis epidemia regnabat gaſtrica; vel forſitan Stollius humorali ſic dictæ pathologiæ omnino deditus, nimis extendit dominium ſaburræ gaſtricæ; adducit autem paragrapho 49 hiſtoriam alicujus juvenis, qui peripneumonia (bilioſa ſecundum Stollium) affectus fuit, & hæc hiſtoria adeo eſt ſimilis huic, quam modo recenſui, ut plane inde mea confirmetur opinio. Coactus fuit vir ſummus, poſt adminiſtratas venæ ſectiones, poſt emeticorum purgantiumque uſum ad excitantia confugere, quæ denique in vado collocarunt ægrotantem. Longa autem fuit convaleſcentia! An non ob perverſam primis morbi temporibus adhibitam methodum, nec non ob porrectum ultimis diebus emeticum? — — —

10) ratio medendi pars I. Menſis Martius & Aprilis.

Jure inſurgit egregius noſter Frankius contra hos medicos, qui ſignis ſic dictis gaſtricis, fallacibus adeo, decepti, ubique fere evacuantibus morbos aggrediuntur. Creberrima mihi nata fuit occaſio, ad hoſce homines obſervandos, qui religionis cauſa ſeſe per dies integras, imo etiam per viginti quatuor horas, omni cibo potuque abſtinuerunt, & ſequentia vidi: adultos, robuſtos, jejunio jam aſuetos (vergente ad finem die) amarorem oris, linguam muco albo vel flavo obductam, ſitim magnam, foetorem oris tetrum & dolorem ad cardiam (ſi tangantur) exhibere; apud juniores autem & fœminas delicatiores, ad ſymptomata modo enarrata plerumqne accedere vomituritiones vomitusque æruginoſæ bilis; non raro hisce jungitur nauſea & aliquando lypothomia. Si urgente hoc caſu ad cibos ſumendos coguntur, omnia hæc ſymptomata ſpatio dimidiæ horæ plane evaneſcunt, & nil quam ſenſibilitas morboſa per aliquod tempus in ventriculi regione remanet. Quid hic diſpellit ſymptomata gaſtrica? certe non methodus evacuans, ſed (ut ita dicam) methodus replens! — Dicant quidem a jejunio ſuccos ventriculi acriores reddi, hosque ſtomachum irritare atque ſuburralem ſiſtere materiem! — concedam (quamquam & multum adhuc contra hanc opinionem monendum habeam.) Sed ſi aliquis has quisquilias eme-

ticis

ticis purgantibusque expellere conetur, certe ille pessumdaret ægrotantem, & consignatum habeo casum alicujus fœminæ, quæ altero die post jejunium, adhuc de oris amarore, nausea & ructibus multis conquesta est; medicus hisce signis motus, tartarum emeticum in refracta dosi cum graminis decoct. libr. una præscripsit; vix ægra dimidiam partem sumsit, cum jam violenta oborta est hypercatharsis, multo mitiganda opio, & hæc fœmina antea vegeta adhucdum, anno jam exacto, debilem circumfert ventriculum. Ergo dantur saburræ, ut cum pathologia humorali loquar, quæ nullo modo evacuantibus fugari possunt; dantur saburræ, quæ ciborum virtute corriguntur, quare non etiam in aliis morbis, a causis nobis ignotis, oriri queant colluvies, ad quas subigendas, intestina, excitantium stimulo indigeant.? — Quod hoc anno in scola practica confirmatum vidimus.

HISTORIA X.

Peripneumonia cum febri inflammatoria.

Puella 18 annorum, absque prægressis prodromis, correpta fuit horrore concutiente & subsequente calore; lectum petiit 2do morbi die. Dolor pungens in latere dextro, profundam prohibens inspirationem. 3tio dolor puncto-

ri-

rius perseverat, respiratio difficilis, in nullum latus decumbendi potestas; vena secta fuit. 4to die omnia eadem; vena iterum secta, & cum increverant symptomata noctem versus, ad clinicum deportata fuit; sanguis iterum eductus & mixturam accepit ex tamarindor: pulpa cum cremor: tartar. 5to morbi ab illustr. Professore visa exhibuit, respirationem impeditam, dolorem pungentem sub mamma dextra inchoantem & ad costas spurias usque sese extendentem, decubitum in nullum latus possibilem, tussim tamen nullam, pulsus duros, vibrantes non facile comprimendos. Iterum ergo venæ sectio ad unc. decem. decoct. hord. pro potu, omissum fuit evacuans, quia ægra ab heri jam octies alvum deposuit. — Vesperi symptomatum remissio nulla; phlebotomia ad unc. octo.

6to morbi die. Respiratio facilior, evanuit punctorius dolor, pulsus tamen duri, vibrantes, celeres. Lene evacuans ex pulpa prunorum, cum cremore tartari. — Vesperi recruduit dolor punctorius — sanguis iterum ad unc. octo demissus, & cum symptomata recruduerint de nocte ad unc. sex.

7mo morbi die. Respiratio non libera, pulsus duri vibrantes, tussis tamen nulla,

quam

(quam per totum morbi decurſum non paſſa eſt.) Repetita eſt venæ ſectio ad unc. ſeptem; evacuantia nulla. — Veſperi exacerbatio notabilior. Phlebotomia ad unc. ſex.

8vo morbi die. Reſpiratio melior, decubitus in omne latus facilis, ſudor multus, pulſus duri vibrantes. Decoct. hord., & nil aliud. — Veſperi uti mane.

9no. Reſpiratio ut heri, ſputa ſpumoſa, ſudor multus, pulſus vibrant. Decoct. hord. & clysma.

10mo. Melius ſe habet, ſat profunde inſpirare poteſt, nulla amplius mentio de pungente dolore, urina cum ſedimento lateritio. Pulſus autem duri, tenſi, vibrantes. Exhibuit illuſtr. Frankius, hauſtum ſalinum ex ſpirit. minderer. unc. una cum dimid., & infus. ſambuc. unc. ſeptem, oxymel. ſimpl. unc. una, omni bihorio medium vaſcul. — Veſperi jam malum recruduit; reſpiratio angitur, pulſus duriores atque magis vibrantes — — ſeponendus fuit ſalinus hauſtus. —

11mo. Jam pro maxima parte ceſſaverunt turbæ heſternæ, reſpiratio bona, Decoct. hord. cum oxymel.

12mo. Ut heri. ſed pulſus admodum celeres. Decoct. hord.

13tio. Reſpiratio bona, pulſuum celeritas heſterna. Appetit. Diæta quarta & decoct. hord. — 14to & 15to nil novi.

16to. Febricitat paulisper, reſpiratio tamen integra. Diæta imminuta, medicina nulla. 17mo ut heri.

18vo. Pulſus celeres atque debiles. Decoct. cortic. ad unc. novem.

19no. Ut heri. Repetitum fuit decoct. Sic hæſit apud nos ad 34tam usque morbi diem, quotidie uſa eſt cortice cum diæta lautiori & vino, & dein ſana noſocomium dereliquit.

Obſtupui, cum illuſtr. vir, decimo morbi die, ubi adhucdum ignis ſub doloſo arſit cinere, jam ad ſtimulans medicamentum, ad acetum ammoniacale confugit; nociturum eſſe hoc remedium prædixi, & turbæ veſpertinæ jam meam confirmarunt prognoſin, ſeponendus fuit ſpiritus mindereri. Nam diligentiſſima attentio (qualis eſſe opportet in omnes ægrotantes) me docuit, vel leniſſima evacuantia non bene conduxiſſe noſtræ ægro-

tæ,

tæ, semperque inde pejus habuisse, ut ex morbi historia clare elucet. Quomodo ergo sperare potuissemus levamen a majori stimulo? Nil habeo quidem, quod Brunoni opponam sudorifera inter debilitantia remedia numeranti; sudor enim ut quævis evacuatio debilitat certe, sed antequam hunc propellunt, oportet ut irritent nervosum systema, ut augeant sanguinis circuitum, & sic incremento favent inflammationis. Nemo dubitat emetica humanam debilitare machinam, sed quis ad talia confugeret sæviente febre inflammatoria?

Quare illustr. Frankius Trallesium sequens 11) adeo fugit vesicantium usum, antequam fracta est phlogoseos vis? An non quia omnem stimulum jure reformidat vigente phlogosi?

Stollius, vir, lenissimum abhorrens stimulum in inflammationibus, attamen propria atque Pringlii multiplici experientia nixus, opposuit sese Trallesio, atque usum cantharidum in rheumatica inflammatione non adeo restrinxit, operamque vir summus navavit ad hanc rheumaticam inflammationem a genuina distinguendam, multas adnumerans dif-

fe-

---

11) Tralles de usu vesicantium &c.

ferentias inter quas & cruſtam lardaceam ſanguinem obtegentem memorat. En ejus verba: „ In rheumatismo febrili cruſtam ſumme phlo- „ giſticam in ſanguine detracto ſemper vidi- „ mus, eamque tam craſſam, ut vix ali- „ quid cruoris, aut rubræ partis appareret. „ In quocumque alio morbo inflammatorio, „ utut graviſſimo, minor, tenuiorque cru- „ ſta phlogiſtica apparebat". 12) Et pag. 85 idem affirmat. Illuſtr. Frankius contendit, ſe hoc experientia confirmatum non habere, & maximo in honore habeo experientiam hujus eximii viri; ſed quod miratus ſum, litteratiſſimum virum palam aſſeruiſſe, ſe ignorare auctorem alicujus momenti, qui has de cruſta ſanguinis inſtituerit diſtinctiones.——

COROLLARIUM VII.

Tenia expulſa.

Fœmina a juventute jam vermibus laborans, & ſi ipſi ſit fides habenda, jam ultra quinquaginta ulnas Teniæ excrevit, domi uſa fuit, pulv. filicis maris, tanaceto & fere omnibus ſic dictis antihelminticis nec non & hydrargyro, a quo magnus obortus eſt ptyalismus per ſex hebdomadas ſæviens. Sco-

12) Stollii ratio medendi pag. 78.

Scolam practicam menſe Martii petiit, narrans, ſe quotidie inſultu febrili anomalo laborare, ſub quo tantus eſt ſalivæ affluxus in oris cavum, ut metus ſuffocationis inſtet. Semper habere reptationis ſenſum cum torminibus multis, ſingulari vexari pedum pruritu cum frigore multo in plantis. Præſcriptum fuit:

℞. Raſuræ ſtanni anglici puriſſimi unc. unam extract. liquirit. drach. duas mellis pur. q. s. ut fiat electuarium molle, ut ſumat ter de die ad castanei magnitudinem.

Jam ſecundo die poſt ſumtum remedium evigilata fuit nocte torminibus magnis, & cum alvo depoſuit ſeptem ulnas teniæ, caput autem non deteximus. Siluerunt quidem ſymptomata urgentia, ſed remanſit reptationis ſenſus cum levi febrili inſultu. Porrecta fuit omni bihorio talis ſtanni doſis, non amplius autem veſtigium teniæ apparuit. Domum petituram illuſtr. Frankius monuit, ut redeat, ſi ſymptomata iterum fierent urgentiora, quod, poſt octo menſes nondum factum eſt.

COROLLARIUM VIII.

Paresis vesicæ.

Foemina antea sana, domi febrim, ut videtur catharralem, perpessa ; jam ab initio urina difficulter prodiit, postquam hæc per quindecim duraverit dies, incepit abdomen tumere,& dolores colicos percepit ; sic auxilium in nosocomio quæsivit ; ad aliud cubiculum translata ibidem morbus ut entritis aut ut tympanitis inflammatoria tractatus fuit : accepit mixturam oleosam & cataplasmata emollientia ; eodem autem die ad clinicum deportata, exhibuit immensam molem in abdomine ; cum illustr. Frankius hunc tumorem manibus tetigisset & figuram pyriformem invenerit, mox exclamavit, vesicam esse extensam, & cathederem cito applicare jussit. Hoc facto, libræ novem urinæ eductæ fuerunt, fere eadem quantitas post horam, & magna copia hujus lotii, spatio aliquorum dierum, extracta fuit ; nunc penitus detumuit venter, sed vesica munere suo non fungitur, adest vera paresis, hinc vesicans ad regionem ossis sacri applicatum fuit,& injectiones tam in anum quam in vesicam ex decoct. cort. factæ fuerunt nec non cataplasmata aromatica ad vesicam. Illustri viro iterum regionem vesicæ investiganti, sese obviam dedit induratio, credidit partem

tem veficæ induratam effe, & inunctiones mercuriales a Chilchrifto nuper commendatas adminiftrare juffit, nec non & decoct. rad. ononidis ordinavit, quod ab Acrell commendatum legimus. Poft continuatum ufum horum remediorum, per aliquos dies dolor obortus eft in vefica. Sepofita eft inunctio, & cataplasmata fic dicta emollientia applicata fuerunt. Poft aliquos dies iterum ad mercuriales illuftr. Profeff. redivit inunctiones, urina nunc fponte prodit, fed iterum infurgit veficæ dolor, penitus nunc mercurii ufus rejectus fuit, & nil quam cataplasmata emollientia cum herba cicutæ applicata fuerunt; quia tamen debilitas totius corporis adeft, decoct. cort. ordinatum fuit. Sub hac methodo evanuit omnis induratio, vefica ut in naturali ftatu fuo fungitur munere, ficque poft menfem fana nofocomium dereliquit.

COROLLARIUM IX.

Icterus.

Juvenis 23tio Februarii ad nos acceffit, jam a quinque diebus ægrotans exhibuit: admodum flavam totius corporis fuperficiem, pruritum undique, laffitudinem fummam, linguam muco flavo obtectam; faporem tamen non amarum, urinam tinctam & tingentem,

febrim nullam. Per quatuor dies eccoprotica ex ſale amaro & tamarindis accepit; dein præſcriptum fuit ſequens. ℞. extract. tarax. unc. dimid. ſalis mirabil. glaub. drach. duas, ſolve in aquæ commun. unc. novem, adde ſyrup. cichor. cum rheo unc. unam omni bihorio duo cochlear. Decoct. rad. tarax. pro potu, contra pruritum aliqua balnea ordinata ſunt. Sub hac methodo ſenſim ſenſimque evanuit flavedo; urinæ clariores redditæ, rediit appetitus & decimo martii noſocomium deſeruit ſanus. Dixit illuſtr. vir: ſi conſulat omnem ſuam experientiam circa hunc morbum, tunc invenire: plurimos ictericos, lenibus ſolventibus, extractis amaris & ſalibus mediis, curatos fuiſſe. Quod etiam confirmatum hoc anno in noſtro noſocomio conſpeximus, ubi multos hac methodo ſanavimus, unum exemplum ſi excipias, quod nunc recenſeo.

COROLLARIUM X.

Icterus a terrore.

Foemina ad nos venit, quarto martii, cum omnibus icteri ſignis; undique obtecta fuit flavo colore, urina tingens & valde tincta, pruritus cutis, lingua muco flavo obtecta, ſapor naturalis. Cum terror obruit

ruit hanc fœminam antea fanam, & paulo poft fymptomata icteri apparuere, manifeftum fuit hoc animi pathema fiftere caufam morbi; fagaciffimus vir ergo ftatim ad antifpaftica confugit & fequentia præfcripfit. — ℞. Infus, flor. chamom. unc. quinque laudan. liquid. & liquor. anodyn. miner. aa gutt. quindecim, omni bihorio duo cochlear. fed fœmina altero die foporofa fuit, hinc omiffo Laudano repetita fuit hefterna mixtura; poftquam hac per octo dies ufa eft, evanuit omnis icterus & nil quam parva remanfit ventriculi oppreffio, contra quam aquam menthæ cum extracto gentianæ ordinavit, & fic fœmina perfecta falute gaudens nofocomium deferuit. Icteri exemplum a terrore lethalis habetur apud Morganium. 13.)

HISTORIA X.

Febris nervofa cum affectione laryngis et pharyngis.

Juvenis viginti annorum, gravi morbo in nofocomio perpeffo (videtur ex enarratione peripneumoniam fuiffe) debilis nofocomi-

---

13) de fedibus & caufis morborum &c. Epift. trigefima feptima Nro 4.

mium dereliquit, mox insecutus febrilis insultus cum artuum dedolatione multa, doluit guttur & adeo impedita fuit deglutitio, ut assumpta per os naresque ejecerit; ad clinicum delatus cum omnibus hisce symptomatibus nec non & tremore totius corporis, pulsus sunt celeres atque molles, cutis aret, vertigo multa, & lypothomiæ, dum surgere vellet. Ex hac magna virium vitalium jactura cum febri multa, facilis conspectu fuit morbi indoles, esse nempe febrim nervosam cum topica gutturis affectione. Decoct. cort. unc. novem cum, rad. polygal senek. drach. II. infus. & inf. sambuc. cum melle ad collutorium præscribebantur: —

Vesperi obvenit diarrhæa. Medicina eadem.

2do morbi die. Symptomata hesterna, diarrhæa urget. Ad hesternam medicinam, laudani liquid. gutt. quindecim. — Vesperi idem.

3tio morbi die. Deglutitio integra, evanuit diarrhæa, febris viget. Laudanum omissum, cætera eadem. — Vesperi idem.

4to morbi die. Somnus nullus, debilitas magna, pulsus admodum celeres, aurium su-

susurrus, subsultus tendinum, lingua sicca, dolet parumper pharynx, Ordinatum fuit.

℞. decoct. cort. saturat. unc. novem, camphor. mucilag. arabica subact. scrup. duos, infus. liquirit. unc. tres, ut sumat omni bihorio vascul. Duo vesicantia ut rubefacientia ad suras. Nec non & balneum tepidum. —

Vesperi jam paulisper melius se habuit.

5to morbi die. Levamen magnum persentit æger, evanuit pharyngis dolor, aures non amplius tinniunt, pulsus autem adhucdum sunt debiles, celeres, & tendines ludunt. Aliquam tensionem in gutture accusat. Continuandum in hesterna medicina. — Vesperi calor auctus, recruduit diarrhæa & cutis admodum sicca atque tensa tangitur. Ordinatum fuit, ut iterum in balneum descendat æger, & adjectum est laudanum medicinæ, ut diarrhæa coerceatur.

6to. Somnus nullus, urgent omnia vespertina symptomata præter diarrhæam, hinc omissum laudanum, cæteroquin medicina atque balneum repetendum. — Vesperi rediit diarrhæa, iterum ad laudanum confugiendum.

7mo. Dolet venter, diarrhæa perseverat,

febris ut heri. Medicina hesterna cum laudano, ad ventrem cataplasma emolliens, inuncto prius ventre cum linimento nostro volatili. — Vesperi uti mane.

8vo. Remittit linguæ siccitas, melius se habet. In omnibus continuandum.

9no. Carnis muscularis est tensa & rigiditas cutis premit, cætera symptomata meliora. Medicina eadem & balneum tepidum.

10mo. ut heri. Medicina eadem.

11mo Noctem dormiendo transegit, sudavit multum cum magna euphoria, lingua est humida, sitis nulla, cutis tractabilis, mollis, pulsus fere non febriles, appetitus incipit. Omni trihorio medicina hesterna & diæta quarta. Sic sensim sensimque recuperavit vires, febris penitus desiit, appetitus increvit ita ut 19mo post morbum die sanus redierit ad suos.

Æger multum diebus convalescentiæ sudavit, contra hunc sudorem nil quam decoct. cort. ordinatum fuit; dixit illustr. Frankius: Hænium quidem contra hos sudores infusum salviæ commendasse, sed salvia ut stimulans remedium agit, nil specifici inest, & re ve-

ra

ra ſub ſolo corticis uſu ſudor evanuit penitus.

Fine menſis Martii, magnus fuit febrium nervoſarum in noſtro clinico proventus, omnes obtulerunt ſigna gaſtrica, nec raræ fuerunt topicæ affectiones præcipue in pulmonibus; ſed cum pulſus exhibuerint molles atque celeres, nec alia ſigna febris nervoſæ defecerint, non habito reſpectu ad has topicas inflammationes vel ad ſigna gaſtrica, ſtatim cum roborantibus excitantibusque illuſtr. Frankius aggreſſus eſt morbum, & feliciſſima medela nos admiratione perculit; nam non ſolum exiguum conſpeximus numerum hac dira febri demortuorum, ſed etiam convaleſcentia adeo in perſectam tranſivit ſanitatem, adeo brevi recuperarunt vires, ut nobis non opus fuerit, quod Stollius recenſuit, de convalescentibus loquens „eos paulo diutius, quam „ adverſa ipſorum valetudo exigere videba„ tur, retinuimus, imperſectum tantummo„ do, aut fere nullum beneficium rati, ſi; „ quos morbus acutus non ſuſtulit, longa in„ firmitas conſumeret " 14.) Talem infirmitatem nunquam poſt methodum roborantem obſervavimus.

---

14) Ratio medendi pars I. pag. 10.

HISTORIA XII.

Icterus.

Vir robuſtus fere ſemper ſanus, ſubito poſt iram correptus fuit ictero valido, cum diarrhæa magna; fæces initio morbi fuerunt albæ, mox autem in naturalem commutatæ colorem; ructus amari, vomituritiones, urinæ profundiſſime tinctæ, tingentes, flavet corpus & viridem fere exhibet ſuperficiem, æger incapax laborum, in ſchola practica[1] auxilium quærit, abeſt febris, omnis pruritus nec non & laſſitudo, ictericis adeo ſolita; linguam ſat puram exhibet. Præſcripta fuit prima die mixtura ex aqua menthæ cum liquore anodyno.

Altero die 5ta Aprilis, accepit tinctur: rhei aquos. unc. tres, ſalis mirab: glaub. unc. dimid, aquæ commun. unc. tres. omni bihorio duo cochlearia; cum appetat, diæta conceſſa fuit quarta. Sic continuatum fuit in tertium usque diem, cum alvum abhinc quinquies depoſuerit.

7mo Aprilis. Iterum æger ſepties alvum depoſuit, vigetque adhucdum icterus; ut alteri indicationi, quia ab animi pathemate originem duxit malum, ſatisfiat, ordinatum

tum fuit : Infus chamomill. unc. novem, liquor. anodyn. mineral. ſcrup : duo, omni bihorio duo cochlearia.

8vo Aprilis. Pes dexter cum crure torpet, & ſi in alterum ſeſe convertat latus, mox ſpasmodice contrahitur pes, hepar rudem non perfert attactum, urina minus tincta. Heſterna mixtura.

9no Aprilis. Torpor perdurat, monſtratque hepar non liberum eſſe, ad mixturam antiſpaſticam thebaicæ tincturæ gutt. decem fuerunt adjectæ, decoct. reſolv. pro potu.

10mo Aprilis. Inſomnis nox — forſan ab opii uſu — torpor non tantus. Cum ergo illuſtr. Frankius vidit, huic ictero, cauſam in animi pathemate quærenti, non adeo conducere antiſpaſtica, ut ictericæ fœminæ, cujus hiſtoriam ſupra memoravi; rurſus ad ſolventia reverſus eſt, & ſequentia præſcripſit.

℞. extract. tarax : arcan. duplic. ââ unc. dimid. ſolv : in decoct. reſolv. libr. una, omni bihorio vaſcul. dimidium.

11mo Aprilis. Somnus inquietus, al-

vus

vus claufa, urina pellucidior, ficcitas cutis. Remedia hefterna & balneum tepidum.

12mo Aprilis. Paulisper melius. Continuandum in omnibus.

13tio. Cutis admodum flava, torpor dextri cruris pedisque urget; fi æger in alterum convertitur latus, manifefta detegitur durities ad lobulum Spigelii. Medicina continuanda.

14to. Cum alvus non fat refpondeat, augenda falis mirab. glaub. dofis; iterum balneum tepidum.

15to. Ut heri: Medicina eadem. Sic ad decimum octavum usque diem; torpor evanuit, urinæ fiunt clariores. Alvi depofitiones crebræ. Nunc fucci recentes ex tarax: cum toto ad unc. unam in feri lactis libr. una præfcripti fuerunt, ut fumat talem dofim omni die. Sic continuatum fuit ad 24tum usque Aprilis, æger de die in diem melius fe habuit. Cum alvum non depofuerit, omni die fcrup. duos falis amari accepit. Continuato horum remediorum ufu, fanus 28vo Aprilis nofocomium dereliquit.

Defuerunt (quod rarum eft) in hoc ictero & pruritus & laffitudo; torpor autem & ftu-

ſtupor cruris pedisque dextri , non commune eſt ſymptoma in hoc morbo.

Inter tot icteros , quos hoc anno conſpeximus , non unus fuit , qui albas exhibuit fæces , ita , ut merito ſpectent ad ſecundum genus icteritiæ a Bianchi traditum ; de quo egregius vir dicit : „In hoc icteri „ genere , non albeſcunt excrementa , ut in „ priori , ſed potius intenſius flaveſcunt ; „ tum multo citior eſt hujus icteritiæ , ſupra „ antecedentem (quæ originem in hepate ha„ bet) productio" 15.)

HISTORIA XIII.

Hepatitis & Splenitis traumatica.

Vir 33 annorum , bona ſemper gaudens valetudine , ſi peripneumoniam excipias , quam æger ante tres annos perpeſſus eſt , ex qua tamen perfectiſſime convaluit ; ante quatuordecim dies , ictu valido ex machina , quam ad cudendas monetas adhibent , percuſſus eſt ; vehemens illico dolor in hepatis regione , cum vomitu omnium aſſumptorum ſe-

15) Bianchi Hiſtoria hepatica pars II. cap. X. §. VIII.

fecutus, ob doloris vehementiam officinam dereliquit domum petiturus, in via jam horrore valido totum concutiente corpus correptus, & hic per duas duravit horas. Lectum petiit, cum frigus, calor multus & ſudor partialis ad partem capillatam capitis exceperunt. Symptomata hæc per plures alternarunt dies, remanente tamen ſemper dolore hepatis cum appetitu proſtrato ſitique intenſa. Æger, præter inunctionem cum ſpiritu ſaponis ad latus affectum, nil adhibuit. Diætam obſervavit ſtrictam; alvus ſponte prodiit.

Septimo die poſt hunc ictum validum, dolor ad hypochondrium dextrum & calor & ſitis pro maxima parte remiſerunt — haſce morbi reliquias parvi faciens, ad labores, minores quidem aſſuetis, rediit; mox recruduit malum! Lecto nunc affixus æger; dolor ad ſcapulam usque ſeſe extendit, decubitus in latus dextrum impoſſibilis, torpet & dolet brachium dextrum nec non & crus dolore afficitur cum tumore, ſapor oris amarus, ſitis magna; ſiccitas faucium, cutis intractabilis; medicum non implorans auxilium, illivit latus variis unguentis, interne nil aſſumens. — Nova nunc mala priſtinis ſocientur, *ſuſurrus aurium* — inexplebilis ſitis, ardens calor, dolor ad ventriculum ad li-

lienem usque extenſus, ſedem tamen nunquam in hypochondrio dextro relinquens. Spiritus angitur, tuſſis, ad quam retinendam ſummopere nititur, propter dolorem ſubſequentem; nunc & manus dextra tumet; affectio ſcapulæ dextræ quoque in ſiniſtram tranſit, ita ut æger in dorſo decumbere nequeat.

Quatuordecimò morbi die ſcholam practicam petiit, ubi præter enarrata exhibuit faciem cachecticam cum genis rubentibus, reſpirationem læſam, manum dextram tumentem atque eryſipallaceo rubore obductam; pulſus frequentes, plenos, duros, vibrantes; calorem cutis multo auctum. Venæ ſectio ad unc. octo, fomenta emollientia; clysma emolliens, & leniter evacuans ex pulpæ prunor. unciis duabus mannæ unc. una in aquæ unc. novem ſolut. omni hihorio vaſculum. Decoct. hordei cum nitri drach. duabus & oxymel. unc. duabus. Tres horas poſt, exiguum levamen, ſymptomata urgent, ſanguis corio denſo obductus; venæ ſectio ad libr. unam. Quatuor horas poſt, reſpiratio parum melior, urina profunde tincta; venæ ſectio ad unc. decem. Cætera continuanda.

15to morbi die. Reſpiratio paululum

in

in melius mutata, urina admodum tincta, cætera symptomata perstant. Sanguinis libra iterum educta, cætera eadem. — Vesperi remisit paulisper dolor cruris, nunc genu quidquam flectere potest, quod antea nequivit; respiratio melior, dolor in hypochondrio dextro minor, sævit autem in ventriculi lienisque regione; amarities oris disparuit, lingua humidior; sitis non tanta, urina autem flammea & pulsuum durities viget. Venæ sectio ad unc. sex, reliqua eadem.

16to morbi die. Hypochondria attactum magnopere fugiunt; profunda inspiratio difficilis; tument nunc utraque manus, sed dextra solummodo erysipellacea picta rubore; sitis iterum magna, nec non & siccitas oris & sapor amarus redierunt, pulsus admodum duri & vibrantes. Venæ sectio ad unc. duodecim. Medicina hesterna. — A meridie symptomata parum mitiora. Venæ sectio ad unc. octo. — Ad nonam, somnus placidus, respiratio liberior, cutis tractabilior, sanguis adhuc semper corio phlogistico obductus.

17mo morbi die. Dormivit per aliquas horas, sudor levis ad caput & pectus secutus; respiratio profundior, sermo liberior, dolor

in

in hepate minor, urget autem in ventricule & liene, detumuerunt manus, & nil quam phlogosis levis in manu dextra superest; scapulæ minus dolent, flectitur crus dextrum sine magno incommodo, dolor pungens ad plantas pedum succedit; abdomen non tumidum, pulsus duritiem non deperdunt, hinc sanguis ad unc. sex eductus fuit. Cætera eadem.

Vesperi, pejus se habet, dolores recruduerunt omnes, cum respiratione difficili atque pulsuum duririe summa; attamen aliqua inconstantia observatur in arteriarum ictibus. Jussa fuit Venæ sectio ad unc. decem cum hac cautela, si collaberentur pulsus, dum sanguis effluit, ut statim cessandum, Cætera eadem.

18vo morbi die. Respiratio parum liberior, dolores perstant ubique, præcipue autem urgent in ventriculi lienisque regione; pulsus duri, tensi, urina rufa Sanguinis missio ad unc. sex, unguentum alth. pro inunctione abdominis. — Medicina hesterna. Versus vesperam remissio nulla, attamen vires non adeo sufficiunt, ut nobis non adhuc cum venæ sectione exspectandum esset. Hora undecima nocturna, dolores urgent impediuntque somnum, respiratio angusta. Venæ sectio unc. quinque.

19no die. Symptomata mitiora, pulſus non adeo duri, urina minus tincta. Venæ ſectio nulla, in medicina continuandum. Veſperi uti mane, famem accuſat magnam. Ovum ſorbile in jusculo.

20mo die. Omnia in melius, hepar attactum jam fert, magis autem adhucdum hunc fugit lien. Reſpiratio bona, urina non amplius tincta, pulſus potius molles, ſcapulæ indolentes, ſitis moderata, appetit. Heſterna ordinantur & ovum rurſus ſorbile.

21mo die. Jam in latere dextro incumbit, urina citrina, abſentia omnium dolorum febrisque omnis; urget fames. Pruna cocta atque ovum ſorbile. Medicina uti heri, nec cataplasmata adhucdum ſunt ſeponenda.

22do die. Præter ſenſibilitatem in hypochondriis nimiam, ſanus. Medicina heſterna, fomenta inunctionesque, diæta quarta. 23tio evacuans omiſſum eſt. 24to ut heri. 25to Dolor ad genu dextrum, fomentum emoll. Diæta tertia. 26to evanuit dolor in genu, ſurgit æger per dimidiam horam. 27mo jam evaneſcit ſenſibilitas illa morboſa in hypochondriis, nihilominus externa remedia continuanda.

28vo

28vo. Jam vinum ad libr. unam concesſum fuit.—29no Dolet paulisper ſcapula ſiniſtra, linimentum volatile. 30mo ut heri. 31mo dolor ſcapulæ verſus noctem auctus, ſomnum abripiens, pulſus tamen naturales. Veſicans ad locum affectum.

32do Dolor ſcapulæ perſtat eadem vehementia. Porrectum fuit infuſum ſambuc. cum aceti ammoniacal. unc. una cum dimid. A meridie dolor jam remiſit.

33tio. Dolor fere evanuit, continuandum in hauſtu ſalino; a meridie dolor nullus. Mixtura omiſſa.

34to Sanus. 35ta Perfectiſſima ſanitate gaudens noſoçomium deſeruit.

Vir hic dira inflammatione correptus, cacheticam & exſanguem præſetulit faciem, attamen venæ ſectiones egregium præſtiterunt effectum, nec non & evacuantium virtutem in inflammationibus, manifeſte hoc caſu confirmatam vidimus.

Methodus alvum in inflammationibus purgandi, antiquitati jam proficua viſa eſt; & ſæculo elapſo, fere omnes medici virtutem

ejus

ejus bene perſpexerunt. 16.) Hippocrates quidem in aphoris : XVI libr. VI. dicit. „Pleu„ritide aut Peripneumonia detento , diarr„hæa interveniens , malum". Sed jam egregius ejus commentator Hollerius, valde reſtrinxit hanc ſententiam Magni Coi , addiditque : „Ex hac ſententia colligunt plerique in pleuritide & peripneumonia nullo modo movendam eſſe alvum. Imo movere poſſumus & tuto , non quidem medicamentis illis veterum fortibus & agitatoriis : ſed caſſia , catholico , addita aliqua portione rhabarbari". 17.) —

HISTORIA XIV.

Peripneumouia.

Vir toroſus magnorum aſſuetus laborum fracturam oſſis clavicularis dextri lapide ab alto cadente ante tres annos perpeſſus eſt ; ſanatum brevi vulnus , ſed ab hoc tempore diſpnoicus factus. Duos annos poſt peripnue-

16) Senert. medicin. practi. libr. II. pars II. cap. XVI. Riverii opera omnia libr. III. ſect. III. Caput II. inſtitut. medic.

17.) Jacob. Hollerii in aphoriſmos Hippocrat. Commentarii.

neumonia laboravit, methodo antiphlogiſtica quidem reſtitutus, remanente tamen, aſthmate. Ante octo dies absque data cauſa inopinato correptus fuit horrore valido, ſubſequente calore, & dolore pungente ab oſſe claviculari, olim fracto, incipiente, & ad quartam usque coſtam veram ſeſe extendente; quamquam & ſpiritus præcluſus fuerit & malum de die in diem incrementum ceperit, hoc tamen neglexit æger & nono primum die auxilium in noſocomio imploravit, ubi validam exhibuit peripneumoniam; ſed molles (an non a vehementia inflammationis?) tanguntur pulſus, ægerque debilitatem totius corporis accuſat; ſputa cruda.—Illuſtr. Frankius comprobavit factam diagnoſin: eſſe febrim nervoſam cum topica pulmonum affectione. Ordinatum eſt decoct. cortic, peruv. unc. novem, liquor anodyn. mineral: Hoffman. drach. dimid. infus. liquirit. unc. tres. Omni bihorio vaſcul. medium. Veſperi omnia eadem, & ſputa jam cruenta — pulſus inconſtantes, nunc vibrant nunc collabuntur.

10mo morbi die. Diarrhæa — perineumonia urget, angitur reſpiratio & tuſſis cum ſputis cruentis perſeverat. Remedia heſterna, & duo veſiicantia ad ſuras. Veſperi. Exacerbatio valida, ſuffocatio inſtat, continuandum in methodo ſtimulante. —

11mo

11mo morbi die. Nox insomnis, jactatio, respiratio infelix, vox quasi abolita, desunt quidem calor urens, tendinum lusus, petechiæ, omnia denique symptomata febrim nervosam concomitantia, nec virium jactura tanta est, nam surgit æger absque ullo incommodo ad alvum deponendam, attamen mollitie atque inconstantia pulsuum ductus, illustr. vir non mutavit methodum medendi; insistendum jussit in decoct. cort. adjecto tamen laudano ob diarrhæam urgentem.—Duo vesicantia ad brachia. Vesperi respiratio anhelosa, suspiriosa, facies hippocratica, hac nocte periit suffocatus.

Sectio cadaveris.

Pulmo dexter arcte & tendinosa quasi ligatura cum pleura cohæsit, (in hac nempe parte, ubi æger dolorem persensit) ita ut sine substantiæ læsione divelli non potuisset; lobulus pulmonis dextri per totam substantiam durus atque inflammatus, sed non est illi color, quem in recentibus inflammationibus deprehendimus. — Os claviculare callo concretum — læte rubuit ramus bronchiorum dexter. — Cæteroquin sana omnia fuerunt intestina.

HI-

HISTORIA XV.

Febris intermittens legitima.

Si non adſuerant manifeſta ſymptomata ſaburræ gaſtricæ, ut ructus ovum patridum redolentes, ventriculi oppreſſio magna cum nauſea ciborum multa, illuſtr. Frankius parvi faciens linguæ flavedinem, amarorem oris, albugineam flavam &c. (quæ omnia ſoboles ipſius febris eſſe poſſunt) experientia ampla multorum ductus annorum, ſtatim cum cortice jugulavit febrim intermittentem, & omnes iterum mirati ſumus ſagacitatem viri hujus egregii; nam non unum horum malorum ſequi vidimus, de quibus tam multum medici loquuntur. Ipſemet enim multos ſic curatos poſtea vidi, integra fruentes valetudine. En primum exemplum!

Vir robuſto cum corpore febri intermittente correptus ad nos venit. Ante aliquot annos hæmoptoë laborabat, ab hoc tempore pectoris anguſtiæ tuſſisque remanebant, nec non & debilitas totius corporis. Annum poſt, quartana ei obvenit, cum cortice perfecte fugata. Nunc jam ab octo diebus quotidianos patitur inſultus febriles, calorem, quem frigus præcedit, ſequente autem ſudore auroram verſus. Sputa prodeunt alba, tena-

cia, præcipue matutinis horis. Timuit illustr. Vir, ne ſub larva hujus intermittentis lateat ſuppuratus pulmonum ſtatus, cum jam morbi pectoris prægreſſi ſint, hinc non auſus eſt corticem porrigere. Decoct. emoll. nil aliud. — Altero die quoque, cum inſultus redierit iterum, nondum certus de hujus intermittentis natura, quamquam efficacia corticis in quartana prægreſſa tam manifeſta fuerit, nil quam decoct. emolliens exhibuit.

Tertio autem die præſcripſit. ℞. pulver. cort. peruv. unc. unam, divid. in duodecim partes æquales. Omni bihorio unam doſin. Poſtquam æger hos pulveres per duos ſumſerat dies, jam non rediit inſultus, continuabatur hujus uſus, donec uncias quatuor corticis (qualis doſis illuſtri Frankio in regularibus febribus fere ſemper ſuffecit) conſumſerat, & ſic ſanus noſocomium deſeruit.

COROLLARIUM XI.

Febris ſubcontinua Tortii.

Juvenis medicinæ ſtudioſus 6to Aprilis ad nos venit cum febre nervoſa continua remittente (ſic ſaltem viſa); aderant aurium ſuſurrus, ſapor depravatus, pulſus celeres atque

que debiles, exacerbatio vespertina, urina turbida cum sedimento lateritio — remissiones manifestæ, cephalea urget, hæmorrhagia autem narium, quæ septimo morbi die subvenit!, magnum attulit capiti levamen. Medicina ex decoct. cort. cum rad. polygal senekæ æger ad 17um Aprilis usque usus est, absque conspicua euphoria, febris pertinax; sed hac die apparuit vera intermissio, nocte subsequente rediit subsultus, nunc manifesta febris natura! Adjecit illustr. Professor decoct. cort. pulverem corticis ad unc. dimid. & 19no Aprilis paroxysmus jam mitior, 20mo nullus & 23tio Aprilis sanus ad sua studia rediit.

HISTORIA XVI.

Tracheitis cum febri nervosa.

Puella fibra nimis irritabili atque ingenio multo prædita, 7mo Maji perfrigerium perpessa, tensionem in musculis colli percepit, deglutitio quoque fuit impedita; gargarisma emmolliens adhibuit. 8vo Maji idem. 9no paululum melius, sed denúo auræ frigidiori sese exposuit, cantuque fatigavit guttur, mox dolorum incrementum! Cynanche apparuit laryngea, respiratio difficilis, jactatio, suffocationis metus, deglutitio fere abolita. 10mo in clinicum suscepta, de summo tra-

cheæ dolore conquerens, ſi inſpirare conatur; ſublimi anhelitu auram captat miſera, & omni momento ſuffocatio inſtat, pulſus molles, debiles atque celeres; creberrimus tendinum luſus, & omnia ſigna febris nervoſæ: hinc mox decoct. cortic., & pulveres ex moſchi gran. tribus cum ſachar: ſcrup. uno præſcripti fuerunt. Veſicans intra ſcapulas & cataplasm. emmollientia. — Veſperi ſymptomata aucta, veſicans circa collum, vapores ex aqua tepida ad internas partes loci affecti, cum deglutitio fieri non poſſit, clysmata ex decoct. cort. ſaturati unc. quatuor.

11mo paululum melius, continuandum in heſterna methodo. — Veſperi exacerbatio, ſudor autem nocte erumpens levamen attulit.

12mo. Reſpiratio levior, ſed deglutitio magis impedita, pulſus, qui antea diffluentes fuerunt, nunc jam inſurgunt (diffluentem vocat illuſtr. Frankius illum pulſum, qui ſub attactu nullam reſiſtentiam exhibet, ſed ſeſe in latum expandit, uti aqua ſub digitis diffluit, ſi tangatur; videtur hujus pulſus conditio ab amiſſa irritabilitate atque contractilitate arteriarum provenire, ubi jam nil amplius quam cordis vis adhuc ſanguinem in

va-

vaſa protrudit) cum ergo res in melius vergat, continuandum in indicatione heſterna.— Veſperi tamen exacerbatio.

13tio. Oppreſſio pectoris, reſpiratio frequens, ſanguinea ſputa ſine tuſſi, trachea ſana, pharynx liber, videtur nunc malum bronchia occupaſſe, lypothomiæ hinc inde. Pulſus debiles. Ordinatum fuit decoct. rad. polygal. ſenek. ad drach. tres in aqua commun. libr, una. Pulveres moſchi ad gran. tria, cum ſcrup. uno ſachar. alb. Clyſter, & veſicans intra ſcapulas. — Veſperi omnia eadem. Sudor per noctem.

14to. Pectoris oppreſſio imminuta, febris fere nulla. Trachea ſana. Infus. ſambuc. Cum alvus jam a quatuor diebus non reſpondeat, clyſter purgans ex ſale amaro cum manna ordinatum fuit.

15to. Bene ſe habet, alvus clauſa, clyſter heſternus repetendus. 16to. Bene habet, alvus nulla, injectio iterum heſterna. 17mo. Alvus prodiit, convaleſcit. — Veſperi recruduit paulisper gutturis malum, accepit. Chamom. infus. cum liquor. anodyn. Hoffman. guttis quindecim. Mox ceſſavit. 19no. Sana domum petiit.

Di-

Dirus fuit morbus, inflammatio vehemens, attamen ob febrim nervosam hanc cynanchen concomitantem, illustr. Vir, experientia fretus, ad roborantia confugit, & cito & jucunde restituta fuit ægrota.

Vidimus apud hanc puellam, anginam in peripneumoniam abiisse, absque illo damno, quod Medicinæ Pater in aphorismis consignavit. 18.) Videtur ad anginam potius cum febri inflammatoria incedentem, revocandum esse hoc effatum magni Coi. — —

Non debemus confundere hanc cynanchem cum illa, quam Boerhavius sub nomine anginæ suffocativæ describit, & de qua dicit: histericis hypochondriacisque solitam esse; quod etiam Switenius confirmat, qui evacuantium usum hoc in morbo damnat. 19.) Nam primo, in hac, nec tumor nec rubor apparet, quod manifeste in nostra ægrota vidimus 2do. Uti recte Boerhavius monet, abit reditque, nostra autem, constans sistebat malum. 3tio febris abest, & solummodo insultus tempore accelerantur pulsus, continua autem febri laborabat hæc puella. 4to. In angina suffoca-

18) aphorism. X Sect V

19.) Switenii Comment. in Aphorism. Boerhavii. §. 818.

cativa, perſæpe volatilia ad nares admota jam totam abſolvunt medelam, cum angina, quam coram habemus, ſeriem medicamentorum poſtulaverit. —

COROLLARIUM XII.

Hepatitis cum febre nervoſa.

Puella diris correpta doloribus in hypochondrio dextro & magno febrili inſultu, 4to morbi die noſocomium petiit; ab alio medico ſecta fuit vena & cataplasmata emollientia adhibita; veſperi ad clinicum delata, propter cruciatus enormes, iterum ſanguis miſſus fuit, cruor absque cruſta lardacea, 5to morbi die mane ab illuſtr. Frankio viſa, exhibuit omnia ſigna hepatis affecti, fere convulſa ob dolores, attactum jam a longinquo fugit nec brachium nec pedes movere poteſt, ejulat; ſed pulſus molles, celeres, contorſio faciei, & vires proſtratæ. Mox ad methodum roborantem confugit vir egregius, præcipue moſchum ad gran. tria cum ſcrup. uno ſach. omni bihorio porrexit, clysmata & cataplasmata ſic dicta emollientia ad latus affectum; ſic jam quinta die liberata a morbo, lectum deſeruit. Paulo poſt ad ſuos rediit ſana.

H I-

HISTORIA XVII.

Peripneumonia.

Juvenis 17 annorum, fere ſemper ſanus, ante quatuor dies frigore calore & pectoris oppreſſione cum dolore in latere dextro thoracis correptus fuit, ſumto vero theato potu dolorem disparuiſſe aſſerit. Altero die 13tio Junii rediit denuo inſultus cum cephalea & dolore ſæviente in pulmone dextro, multam aquam gelidam hauſit, ad ſedandum æſtum; inſecuta ſunt ſputa cum multo ſanguine miſta. 14ta Junii malum perſeveravit, ſputa autem rariora non cruenta. 15to Junii ad ſcholam practicam delatus exhibuit: oppreſſionem magnam in pectore, dolorem pungentem in pulmone dextro, præcipue in lobulo ſuperiori, reſpirationem tuſſi multa interceptam, ſi in latus dextrum ſe convertere conatur, ſtatim angitur ſpiritus, tuſſisque vehemens inſequitur. Thoracem anguſtum exhibet atque male formatum. Lingua eſt ſicca, ſitis intenſa, urina profunde tincta, alvus liquida, nocte placide deliravit. Quis non ex hiſce ſignis concludere poteſt, diram pulmones tenere inflammationem? & re vera, ſic facta eſt diagnoſis! attamen ob mollitiem, irregularitatemque pulſuum (quod ex impedito ſanguinis per pulmones circuitu derivari po-

poteſt, & ideo in diris peripneumoniis non rarum eſt) ob parva illa deliria nocturna, (quæ in veris inflammationibus viderunt & Stollius & alii multi, præcipue apud juniores) ſtatim methodus roborans & ſtimulans arrepta fuit; accepit infuſum polygalæ ſenek. cum liquiritiæ infuſo ad unc. tres. Fomentationes emollientes ad latus affectum. Veſpertina exacerbatio magna, nil in methodo medendi mutavit.

16to Junii. Somnus non multus, deliria parva noctis tempore, caput hodie temulentum, ſitis perſeverat, reſpiratio mala, oppreſſio magna, ſilet quidem paulisper lateris dextri dolor, ſed exaſperatur ſub quavis inſpiratione profunda, alvus fluida bis mota, pulſus valde frequentes, molles, calor urens. Medicina heſterna continuanda. — Veſperi, delirat, ſymptomata matutina aucta; adjectum fuit decoctum cortic. ad polygalæ infuſum. Fomenta heſterna, nec non & vini libra una pro potu. —

17mo Junii. Reſpiratio infelix, conqueritur æger de igne violento in pectoris cavo, pulſus irregulares, cutis arida, calor urens, tuſſis multa dolorifica, ſputa nulla. — Medicamenta heſterna.

Ve-

Vespері. Calor magnus, urens, caput temulentum, lingua & cutis ſicca, hinc inde tendinum luſus, pulſus admodum frequentes ita ut vix numerari poſſint. Continuandum in medicina & iterum vini libr. una. Duo veſicantia ad ſuras. Hac nocte periit. —

Sectio cadaveris.

19no Junii publice facta eſt: Thoracis cavum anguſtum, nam hepar ad quintam usque coſtam veram aſcendit. Pulmo dexter hinc inde cum pleura concretus, lobus ſuperior pulmonis dextri, ſumma phlogoſi correptus, cum cæteris lobulis hujus lateris arcte concretus & diſſectus compactam obtulit ſubſtantiam, hepatis cocti adinſtar in aqua fundum petens, Pleura lateris dextri non inflammata — ſed materie puriformi undique obtecta. Pulmo ſiniſter collapſus nec veſtigium phlogoſeos adfuit. Pericardium aqua multa repletum; cor minime inflammatum, interna bronchiorum membrana, materie puriformi repleta. Cæterum, omnia ſana.

HISTORIA XVIII.

Dolor hypochondrii dextri.

Ancilla 25 annorum, robuſta, virili vigore gaudens, fere ſemper ſana, 19no Maji, poſtquam largiorem copiam braſſicæ conditæ cum multa carne ſuilla fumata comederit, veſperam verſus horripillatione cum calore alternante atque dolore circa lumbos correpta fuit, dolor mox ad hypochondrium dextrum adſcendit, & ſpiritum difficiliorem reddidit; acceſſit altero die cephalea, ciborum faſtidium, amarities oris, vomituritio & vomitus parvus. Sic 21mo Maji clinicum petiit. Rubet facies, ſitis urget, faſtidit ciborum nomen, dolet hepatica atque epigaſtrica regio, attactumque fugit, anxia eſt reſpiratio, in nullum latus propter dolorem ſeſe convertendi poteſtas; alvus clauſa; pulſus non multum a naturali differt, calor naturalis, debilitas nulla. Neſcio quare hunc morbum abſente Profeſſore pro febri nervoſa cum topica pectoris affectione declararint? —— Adhibuerunt decoct. cortic. cum infus. polygal. Fomenta emollientia & clyſter emolliens.

22do Maji. Dolor atrox omnem fugavit ſomnum, urgent heſterna ſymptomata; ali-

aliqua tenſio in pulſu, vigent corporis vires; morbum ergo illuſtr. Frankius, pro rheumatica affectione declaravit, & febrim quæ hanc comitatur, ſymptomaticam ſalutavit; præſcripſit unc. duas mannæ, ſalis amari unc. unam, ſolve in aquæ unc. novem; ſenſim ſenſimque ſumendum. Clysma emolliens, & fomenta emollientia. — Poſt meridiem. Nimis debilis fuit hæc mixtura, alvum nullum ſollicitavit, oborti ſunt magni dolores colici; dolet hypochondrium dextrum, abdomen multis flatibus tenſum, pulſus ſub hisce ærumnis inſurgunt, ſitis magna. Porrecta fuit ſequens miſtura, ex pulpæ prunor: unc. duabus, cremor. tart. drach. ſex ſolve in aquæ commun. unc. novem omni bihorio vaſcul. clyſteres repetendi, donec alvus moveretur; hoc facto, dolores mox ceſſarunt. Sed inſecuta eſt nox non tranquillior heſterna, ſudor undique manavit.

23tio Maji, quinto morbi die. Dolor nunc & hepar ipſum occupavit, nam & ſcapula & femur dextrum in conſenſum trahuntur; pulſus fere naturales, alvus non reſpondet; (quid erat nunc indicatio? credo, niſi omnia me fallunt, in uſu eccoproticorum inſiſtendum, cum jam una depoſitio, tam inſigne attulerit levamen! ſed illuſtr. Frankius nervoſam timens) præſcripſit, infuſum

po-

polygal.; ad latus affectum veſicans. Re vera, poſt meridiem dolor in latere dextro multum imminutus, ſed ſævit in ventriculi regione adeo, ut loquelam reſpirationemque impediat, attamen pulſus, niſi ſub vehementia inſultus, fere naturales, alvus clauſa, madet cutis ſine levamine; nunc dixerunt morbum eſſe ſpasmodicæ indolis, & mixturam ex aqua menthæ, cum liquor. anodyn. *Hoffman*: ſcrup. duobus & laudan. liquid. guttis quindecim præſcripſerunt, alvum enematibus ſollicitabant, & veſicans ad regionem epigaſtricam applicabant. Inſecuta eſt nox tranquilla. —

24to Majii. Recruduit dolor in hepatis regione, evanuit in epigaſtrio; urina cum ſedimento lateritio, profunde tincta; pulſus atque corporis calor naturales. Continuatum in mixtura antiſpaſtica. Poſt meridiem ægra de calore aucto, ſomnolentia multa, & ſiti continua conqueritur; omiſerunt hinc mixturam, ſed roborandi cauſa (cum talibus non egeret) aquæ libr. tres ſpirit. vini unc. duas & mel. unc. unam præſcripſerunt. — Inſecuta eſt nox ſumme inquieta, inſomniis multis, atque dolore multo in hipochondrio dextro, ægra vexata.

25to Maji. Urinam excreturæ, lypothomia obvenit; pulſus celer & parvus, nunc

nunc de artuum dedolatione summa conqueritur, alvus clausa, appetitus dejectus; propinavit illustr. Frankius, decoct. cortic. unc. novem, liquor. anodyn. Hoffman. scrup. duos, tinctur. anodyn. guttas quindecim infus. liquirit. unc. tres; balneum tepidum, potum hesternum atque enema. Post meridiem. Sudavit multum in balneo, cum euphoria; appetitus nullus; alvus clysmate semel mota, pulsus elevatiores; sitis urget. Abhorret potum spirituosum, hinc omittendus & continuandum in cæteris.

26to Maji. Sudor somnum impediebat, prorumpebant menstrua, functiones vitales rite procedunt; decubitus in utrumque latus facilis, flavet albuginea, appetitus in acida insurgit, urina valde tincta, continuatur hesterna medicina. Cum autem vesperi hanc summopere abhorreat, pristinam antispasticam mixturam sine laudano accepit. Nox turbata somniis terribilibus, & ob anxietatem circa præcordia (unde hæc anxietas?) dormire nequivit. — Sudor multus.

27mo Maji, anxietas præcordiorum, dolor tam dextri lateris, quam coxæ adauctus, appetitus ex integro abactus — ad hesternam mixturam gutt. decem tinct. anodyn. adjectæ fuerunt. Alvus enemate sollicitanda,

cum

nam ægra asserit, se semper post alvi dejectionem, magnum persentire levamen. Vesperi alvus educta — levamen anxietatis; lingua nunc purior, sitis autem urget, insurgit appetitus. Continuanda mixtura.

28vo Bene se habet, mixtura omissa, diæta quarta.

29no Cardialgia. Mixtura antispastica, & alvus clystere movenda.

30mo versus vesperam recruduere dolores præcipue ad lumbos. Mixtura antispastica repetenda.

31mo Lingua quidquam impura; appetitus viget. Pustulæ valde prurientes in brachiis pedibusque erupere. Hesterna medicina.

1mo Junii. Dolor lumborum. Linimentum volatile cum camphora.

2do Junii. Devoravit clandestine poma aliqua cruda; nunc dolor lumborum auctus, flatulentia, anxietas circa præcordia, cardialgia, tristitia, dedolatio artuum, lingua spurca, pulsus naturali frequentiores, debiles, vires dejectæ. (Cum causa redeuntis hujus morbi nondum patefacta fuit) illustr. Frankius

kius iterum febrim afthenicam pertimefcens decoct. cort. unc. novem cum liquor anodyn. Hoffman. drach. una præfcripfit; nec non & linimentum volatile. Alvus clysmate folvenda, & diæta tenuis. Vefperi. Poft affumptas duas dofes hujus decocti, ob faftidium medicamenti, vomuit ægra cibos indigeftos cum materia glutinofa, fumme acida atque dentes obtundente (bilis Stollii); Infecutus & febrilis infultus, atque nox infomnis, ob offis facri dolorem & cardiæ oppreffionem.

3tio. Caput temulentum; lingua impura; febris nulla — cutis perfpirabilis. Præfcripta fuit, mixtura antifpaftica cum laudan. liquid. gutt. quindecim, diæta tenuis.

4to Omnia in melius, appetit acida. Diæta tertia.

5to. Cum dolores in lumbis nondum ex integro fugati fint, ordinatum fuit: pulvis doveri ad gran. duo cum fachar, fcrup. uno omni trihorio fumenda talis dofis. Diæta hefterna.

6to. Ob eandem caufam, balneum.

7mo

7mo. Infiftendum in ufu pulveris doveri. Sic continuabatur ad 13tium usque Junii, ubi tandem 26to morbi die curata, nofocomium deferuit.

Illuftr. Frankius, fummopere nitens, medicinam ad fimplicitatem revocandi & undique indubitatam veritatem in hypothefis locum fubftituendi, jure fpernit nimis fcrupulofam indagationem in morborum caufas, cum plerumque obfcura premantur nocte, & in hoc, quemadmodum in pluribus iterum affentit Friderico Hoffmanno dicenti: „Quisque, „ qui rationalem medicinam profitetur, clamabit, caufas morborum removendas & „ ob id, apta remedia invenienda effe; „ fed ficuti in genere id recte dictum eft, „ ita poftmodum in applicatione miras hal-„ lucinationes & ingentes errores animadver-„ timus &c." 20.) Sed cum manifefta hic fuerit morbi caufa, nefcio, quare illuftr. Vir tam cito methodum evacuantem, quæ jam levamen attulit, deferuerit; ad aliam feftinans, quæ non adeo conduxit ægrotanti, ut ex morbi hiftoria videndum & quæ (ut videtur) morbum in longum traxit. An non celebris

 no-

20.) In differtatione de recta & fimpliciffima naturæ medendi methodo.

noſter Profeſſor ipſe medelam damnavit, quæ ſola circa ſymptomata verſatur? 21.)

Quod ad lumborum dolorem ſpectat, quem noſtra ægrota per totum fere morbi decurſum, perpeſſa eſt; quamquam hunc toties hoc anno cum febri nervoſa incedere viderimus, attamen poſſe quoque ſaburræ gaſtricæ ſobolem eſſe nemo negat; & jam medicinæ pater ſolummodo hunc in acutis damnat, qui ſine manifeſta cauſa ſupervenit, dicens: „lumborum dolor nulla ex „ cauſa manifeſta crebro revertens, ſignum „ eſt morbi terrifici." En verba ſummi Baglivii: „In lumbis aliquando afficitur „ muſculus pſoas, quandoque ren; muſculi externi, & frequenter meſſenterium, „ hunc lumborum dolorem vitio meſſenterii „ in aere Romano in ægris almæ urbis frequentem, & valde familiarem obſervavi. „ In hac urbe nulli morbi tam copioſe regnant, quam morbi meſſenterii ex repletione, congeſtioneque putris cacochiliæ, „ crudorumque humorum in ejusdem glandulis pendentes; & quoniam meſſenterium forti ligamento alligatur lumbis in „ medio eorum, nil mirum, ſi meſſenterium „ af-

21.) Legi meretur Friderici Hoffmanni Diſſertatio de prudenti medicamentorum continuatione. —

„ affectum, lumborum morbos mentiatur."
Et paulo inferius: „Ex longa alvi suppres-
„ sione, vel alvo præter morem retardata,
„ ex sapore linguæ mutato, levi inappeten-
„ tia, gravitate totius corporis, quando
„ certior redditus sum dolorem lumborum
„ a repletione messenterii pendere, clyste-
„ ribus, & fomentationibus ventris, cura-
„ tionem incipio, deinde purgantibus ab-
„ solvo, ita paucos post dies dolorem au-
„ fero; dolorem quidem non lumborum,
„ sed vere messentericum, quod velim ut
„ semper præ oculis habeant medici, ne de-
„ cipiantur." Vid. praxeos medicæ liber. I.

HISTORIA XIX.

Ascites.

Vir 52 annorum ante sex menses tertia vice hydrope correptus fuit, intumuerunt pedes; urinæ parciores, crassæ, turbidæ cum sedimento puriformi; intumuit scrotum & venter in magnam crevit molem, sic nosocomium petiit, exhibens pulsum febrilem, ascitam formatum, corpus macie tenuatum, sudoresque nocturnos. Causam hujus mali ab habitaculo humido derivat. Cum adeo jam provectus sit morbus, in paracenthesi sola adhucdum malorum levamen sperandum

 est;

eſt ; hinc facta fuit , aquæ virideſcentes ad 35 libras effluxere ; altero die melius ſe habuit , barborygmata multa ; detumuit poſt abdominis paracentheſin ſcrotum , ſed obſcura adhucdum latet fluctuatio in ventre , urinæ parcæ , debilitas magna , pulſus celeres ; præſcriptum fuit :

℞. Decoct. cortic. peruv. unc. novem , oxymel. squilitic. unc. unam , omni bihor. vaſculum medium.

3tio die ; cutis ſicca pargamenæ adinſtar (ſymptoma , quod Illuſtr. noſter Frankius valdeopere damnat in hydrope) , cætera uti heri. Medicina heſterna.

4to & 5to die augetur ventris moles ; medicina eadem.

6to dolores vagi , nunc ad coſtas ſpurias nunc ad abdomen ; nova aquarum collectio in ventre , urina admodum parca , tentata fuit herba digitalis purpurea :

℞. herb. digital. purpur. gr. I. ſachar. alb. ſcrup. unum. miſce fiat pulv. mane ac veſperi talis doſis.

7mo

7mo urinæ paulisper auctæ ; dosis herbæ digitalis ad granum unum & dimidium.

8vo crescit abdomen, urinæ parcæ ; dosis digitalis ad grana duo.

9no insigne aquarum incrementum in ventre, urina pauca ; conqueritur de visus obnubilatione & ardore faucium ; utraque hæc symptomata digitali herbæ imputanda sunt, hinc hoc remedium sepositum fuit, & loco illius accepit sequentem mixturam :

℞. gum. amoniac. drachmas duas, oxymel. simpl. q. s. ut solvantur ;
adde
pulp. squillæ marinæ recent. gran. XV. liquor. anodyn. mineral. Hoffmann. gutt. XV.
D. S.
Omni bihor. duo cochlearia.

10mo die ; ter alvum deposuit, continuanda mixtura.

11mo die ; cutis sub poplite disrupta est noctis tempore, prodiere aquæ multæ ; medicina hesterna.

12mo. Anasarca scroti & penis, ita ut fere

mingere nequeat æger, magna eſt ventris moles; iterum ad paracentheſin confugit illuſtr. Frankius & mixturam cum liquore anodyno Hoffmann. contra lypothomias præſcripſit. Eductæ fuerunt 44 libræ aquarum. Levamen perſenſit æger. —

13tio. Dolores ventris, pulſus exiles; cataplasmata emollientia & mixtura antiſpaſtica.

14to. Debilitas ſumma, hinc inde jam fatalis ille ſingultus. Sic ſymptomata lethifera de die in diem increverunt; lenia deliria, ſingultus frequentes, dolores ventris multi, facies hippocratica; ante mortem autem dolores remiſerunt & mens rediit; ſic 23tia die poſtquam ad nos venit, miſeram efflavit animam.

Cadaver exhibuit, omnia inteſtina gangræna correpta & inter ſe concreta; nec non & pseudo membrana totam hepatis ſuperficiem obtegit — ob fœtorem enormem anatomicæ disquiſitiones ulterius perſequi nequivimus.

HISTORIA XX.

Peripneumonia cum febri nervosa.

Mulier 29 annorum, bene nutrita, ante tres annos hæmoptoe gravi per undecim hebdomadas durante, laboravit; viginti sex venæ sectionibus & cætera methodo antiphlogistica, morti erepta fuit. Insecuta est febris intermittens tertiana, cortice peruviano perfecte fugata. Anno elapso rediens tertiana, iterum præclaro febrifugo devicta fuit. Sana ab hoc tempore vixit, donec ante octo dies correpta fuerit colico dolore mox evanescente & in pulmonibus sedem figente; oborta est oppressio magna in pectore cum multis sputis cruentis & sapore dulci, antequam prodierint; alternarunt cum frigore calores, & semper exacerbationes vesperam versus; sic nosocomium petiit, ibidemque venæ sectionibus multis & methodo antiphlogistica tractata fuit absque levamine. Sanguis nunquam in hac ægrota crustam exhibuit lardaceam, sed potius solutus apparuit.— Sic 20mo Junii ad nostram scholam practicam delata fuit, ubi sequentia symptomata obtulit: respiratio est anxia, dolor punctorius in latere dextro, in sinistrum latus ob tussim multam, vehementem, dolorificam, se convertere nequit; prodeunt sputa multa sangui-

gui-

guinea & verba ob ſpiritum præcluſum interrupta; facies eſt inflata, rubra & oris ſapor dulcis. Vires proſtratæ jacent, dedolatio artuum ſumma, pulſus celeres, parvi, debiles: ludunt admodum tendines atque cutis urit. Nemo non vidit, pulmones in hac ægrota valdeopere affectas eſſe; ſed quia vires, pulſuum ratio atque cætera ſymptomata pro nervoſæ febris indole dimicant, illuſtris noſter Frankius, non habito reſpectu ad ſputa cruenta dolorem pungentem atque magnum pectoris angorem, mox ad decoctum corticis cum infuſo polygal. ſenek, confugit; clysma emolliens.

Veſperi. Exacerbatio magna, ſpiritus admodum celer & brevis. Pulveres ex moſchi grano uno & dimidio cum ſachar ſcrup. un. omni bihor. 1, ordinati fuerunt. Inſiſtendum ſimul in corticis cum polygala decocto.

21mo Junii. Nox inſomnis, hodie oppreſſio magna, ejulat multum & anxium ducit ſpiritum, nunc dolor punctorius in lævo latere, ſubſiliunt frequenter tendines, pulſus irregulares, & reſponſio admodum brevis. Pulveres ex moſchi gran. tribus cum ſachar. ſcrup, uno omni bihorio. Continuandum cum decoct. corticis; veſicans ut rubefaciens ad latus ſiniſtrum. Veſperi pulſus paululum eleva-

vati, pulmones autem ſummopere obruti; pulveres moſchi ad gran. ſex, & doſis polygal. aucta ad drach. tres in decocto corticis. Veſicans ad latus dextrum.

22do Junii. Remiſit dolor poſt veſicans; dormivit per aliquot horas; nunc ſubſultus tendinum minus numeroſi, non adeo celer eſt pulſus, nam prima vice hodie numerari poteſt, & elevatior eſt heſterno. Reſpiratio autem eſt læſa, & ſputa multo cum ſanguine mixta. Tremunt ſuperiora labia. — Continuandum in omnibus. Veſperi veſicans ad latus ſiniſtrum ob dolorem punctorium; in cæteris inſiſtendum.

23tio Junii. Fere per totam noctem quiete dormivit, tuſſis nunc mitior, punctorius dolor, ſine tuſſi non amplius adeſt, decubitus in ſiniſtrum latus facilior; pulſus autem adhucdum irregulares, & reſpirationis opus difficile, ſputa ſanguinolenta. Medicina eadem. Veſperi. Reſpiratio levior, ſputa non adeo tincta; conceſſum fuit ægræ vinum.

24to Junii. Recruduit dolor punctorius in latere ſiniſtro; accuſat calorem internum, abdomenque paulisper dolet, ſudor profuſus per totam noctem, ſenſus dulcedinis in ore, pulſus exiles, manuum tremores & tendinum ſubſultus; exhibitum fuit: decoct. cort. unc.

no-

novem, camphor. drach. dimid. ſyrup. ſimplic. unc. una. Omni bihorio vaſculum. Dein moſchi gran. ſex, ſachar. ſcrup. unum, m. f. pulv. pro doſi. Omni bihorio. Veſicans ad pectus, fomenta emollientia & enema. Veſperi alvum non depoſuit, continuat abdominis dolor, ſymptomata peripneumoniæ paulisper remiſerunt, ſapor oris ad amarum potius accedit. — Enema repetendum in cæteris continuandum.

25to Junii. Sputa pauca ſanguinolenta, ſomnus bonus, peripneumonia non adeo urget, tuſſis rara; pulſus autem debiles. Continuandum in omnibus, præter quod pulveres moſchi omni trihorio ſint porrigendi. Veſperi exacerbatio manifeſta, dolor ad hepatis regionem usque extenſus. Repetatur medicina & veſicans ad hepaticam regionem.

26 Junii. Somnus inquietus, dolor in dextro latere multus, tuſſis crebra, cephalea, pulſus exiles. Ordinatum fuit, decoct. corticis ſaturat. unc. novem, liquor. anodyn. Hoffmann. drach. una; Pulveres ex moſch. gran. ſex cum ſachar. ſcrup. uno. dein enema ex decoct. cort. ſaturat. unc. ſex; camphor. mucilag. ſubact. drach. una. Linimentum volatile ad hepaticam regionem & ad dextrum latus. Veſperi. Manifeſta remiſſio. —

27mo

27mo. Junii. Perdurat ſymptomatum remiſſio; in omnibus ergo continuandum. Recruduerunt veſperi autem omnia ſymptomata, & nox inſecuta inquieta.

28vo Junii mañe bene habuit, methodus medendi eadem. Veſperi aliqua exacerbatio. Somnus autem bonus.

29no Junii. Mane bene ſe habet. Ægra pertæſa curæ noſocomium deſeruit, nulla amplius medicamenta adhibuit, & paulo poſt pinguem vidi hanc fœminam, integra fruentem valetudine.

En iterum magnum exemplum! Hæc fœmina dira laboravit peripneumonia, ſymptomata culmen aſcenderunt! oppreſſio pectoris magna, ſputa cruenta multa, dolores punctorii in dextero ſiniſtroque latere vehementes, tuſſis crebra, rubor faciei intenſus, nec non & ante tres annos hoc morbo afflicta, multis venæ ſectionibus reſtituta fuit; attamen ob febrim nervoſam, quæ hoc malum comitata eſt, egregius noſter Frankius methodum roborantem ſtimulantemque arripuit, & brevi hæc mulier ex orci faucibus erepta fuit. Jam Baglivius dixit; „Plura „ quæ captum noſtrum ſuperant, contem- „ nenda non ſunt, ſed ſapientiæ pars erit,

„ dum

„ dum variam illorum naturam per ratioci-
„ nia attingere non possumus; effectus sal-
„ tem exterius apparentes diligenter notare,
„ & exinde præcepta ad praxim determina-
„ re." 22.)

HISTORIA XXI.

Febris tertiana simplex.

Puella constanti gaudens sanitate Hungariam petiit, ibidem febri laboravit intermittenti, venam sibi secari jussit proprio marte, febris vehementior; cortice denique fugata; sana postea vixit, donec saltando nimis calefecerit corpus; febris oborta, venam aperuit chirurgus, rediit febris intermittens; sub solventium usu insultus fortiores reddebantur, jam adfuit œdema pedum; cortex iterum febrim jugulavit, sed puella metuens œdema pedum, idque cortici imputans, hoc medicamentum rejecit. Recruduit intermittens febris & in tertianam duplicem mutata. — Nunc faciem præ se ferens cachecticam, pedes tumentes, atque tumorem magnum in liene, auxilium in schola practica 19no Junii quæsivit. Viget appetitus; attamen non desunt vomituritiones. Mox

22) Baglivii Praxeos medicæ lib. I.

Mox illuſtr. Frankius diagnoſin formavit: eſſe febrim intermittentem ſimplicem, & quamquam tumor lienis nobis ſuſpicionem de infarctu relinquat, attamen non raro hoc a ſebri ipſa oriri poſſe nemini non notum eſt; hinc ℞. decoct. corticis ſaturat. unc. novem, pulver. cort. drach. tres, aquæ cinamom. unc. duas, omni bihorio vasculum. Diæta quarta.

20. Junii. Oppreſſionem ventriculi accuſat, jam nimis debilis eſt ventriculus ad perferendum cortciem in ſubſtantia; ergo nil quam decoct. cort. ſaturat. porrectum fuit cum liquor. anodyn. mineral. drach. dimid. omiſſo pulvere corticis.

21mo Junii. Inſultus non rediit; non evanuit ventriculi oppreſſio, tumet magnopere lien, decoct. cort. ſimplex. Linimentum volatile ad latus tumens. Decoct. reſolvens pro potu.

22do Junii. Nec veſtigium paroxysmi, oppreſſio nulla, dolet paulisper lien attactu, alvus naturalis. Continuandum in omnibus.

23tio Iunii. Diſparuit pedum œdema, febris veſtigia nulla, detumeſcit manifeſte lien, viget appetitus, urinæ multæ (lotii magna copia ſemper bonum promittit exitum in intermittentibus). Continuandum in omnibus.

24to Junii. Lien quidem prægrandis est (quod forsitan in vita perdurabit), attamen non adeo tumet, & attactum jam optime fert. Cum ergo febris penitus cessaverit, non amplius in febrifugi usu insistendum est; videndum tamen an non antispastica cum extracto taraxaci, aliquid in tumorem agant. Hinc mixtura ex aqua menthæ cum extracti taraxac. unc. una, & liquor anodyn. scrup. duobus præscripta fuit.

25to Junii. Bene se habet, sana, nec non & lienis volumen de die in diem imminuitur. Sic 26to & 27mo & 28vo curata a febri, nosocomium reliquit. Postea sanam hanc puellam vidi.

Plura habuimus exempla, ubi cum febri intermittente pertinaci, tumorem alicujus visceris in nosocomium attulere, & sub usu corticis non solum cito febris cessavit, sed etiam tumores pro maxima parte disparuerunt; idem illustr. Stoerkius in anno medico contendit; „Vidi, dicit egregius vir, pluribus „ vicibus non tantum febrem fugatam, sed „ & continuato usu corticis peruviani, omnem tumorem esse dispulsum;" & Burserius in tractatu de febribus intermittentibus §. CXXII. „Non ergo audiendi sunt imperiti „ quidam homines, qui multis de causis præ-

stan-

„ ſtantiſſimum hocce remedium criminantur, neque fides habenda vituperationibus quorumdam medicorum, qui ex præconceptis opinionibus de eo judicium tulerunt." Et paulo inferius. „Non obſtructiones, non infarctus progignit, & ſi qui a febri ipſa inprimis diuturniori geniti fuerunt, eos paullatim reſolvit & reſerat."—

HISTORIA XXII.

Febris nervoſa ſtupida.

Fœmina 28 annorum, fere ſemper ſana, ante ſex dies absque data cauſa horrore obruta fuit, inſecutus calor atque artuum dolores, mox autem evanuit inſultus, melius ſe habuit, nox bona. 2do die iterum horror, cephalea, ſitis, calor, matutino tempore; omnia hæc ſymptomata evanuerunt verſus meridiem, ſurrexit; nocte, ſubſecutus largus ſudor. 3tio die, redierunt heſterna ſymptomata, & per totum diem durarunt. 4to die, omnia in ſtatu heſterno, acceſſerunt & vertigo & lypothomiæ, dum ſeſe in lecto erigere vellet. Exacerbatio veſpertina manifeſta. 5to die ad clinicum delata exhibuit: cephalalgiam, aurium ſuſurrum, dedolationem artuum, amaritiem oris, ructus inanes, vomituritiones & linguam mucoſam. Abdomen eſt molle

le & refpiratio facilis. Sed dolor magnus in fpina dorfi — pulfus celeres, molles cum tendinum lufu. Cum manifefte morbus fit indolis nervofæ, decoct. cortic. unc. novem præfcriptum fuit. Vefperi calores aucti fuere, pulfus magis elevati, atque lingua ficca; abfente Profeffore adjectus fuit fcrupulus camphoræ decocto cortic., & enema ex decoct. cort. cum camphor. drach. una, porrectum fuit. —

6to morbi die. Nox inquieta, deliravit per vices, infcia alvum in lecto depofuit, dolor ad os facrum, qui fefe ad abdomen extendit, attactum refpuens, calor urens; pulfus tenfus & fat fortis; rejecit illuftr. Frankius medicinam heri vefperi præfcriptam, dicens, abftinendum effe a nimio ftimulo in fœmina admodum irritabili; decoct. cort. fimpl. cum mucilag. gummi arabic. ordinavit, nec non & clysma emolliens. Vefperi prodiit fluxus menftrualis (en confirmata verba divini Senis: lumborum dolor fine caufa veniens, hæmorrhoidum vel menfium fignum eft) & quidem octo dies ante folitum tempus (tales hæmorrhagias in febri nervofa illuftr. nofter Profeffor non amat, & jam hoc anno fluxum menftrualem in hac febre finiftro cum eventu prodire vidimus); evanuit lumborum dolor, pulfus inconftantes. Medicina eadem

&

& duo veſicantia ut rubefacientia ad ſuras. Verſus horam decimam, pejus ſe habuit, & reſpiratio paulisper anxia fuit. Iterum abſente Profeſſore, camphoræ ſcrup. unus decocto corticis adjectus fuit & veſicans ad pectus. Nox inſecuta admodum inquieta; ſanguis magno cum vigore, magnaque copia erupit ex utero; (an non ſtimulantium vi?) Sudores multi.

7mo morbi die. Dolor lumborum auctus, venter quoque dolet, attactumque fugit, reſpiratio anguſta, tinniunt aures, ſumma pulſuum inconſtantia, tumet venter; urina ſanguine multo (menſtruali fluxu) repleta; de calore magno interno conqueritur miſera, lingua eſt lignea ſudorque viſcidus undique emanat. Rejecit iterum egregius vir medicinam, heri hora decima præſcriptam, annectens: camphoram hic nimis ſudorem promovere, (an non quoque menſtrua?) & decoct. cort. ſimpl. cum guttis decem tinctur. anodyn. propinavit. Clyſter emolliens. Veſperi. Exacerbatio levis, detumuit venter; ter alvum depoſuit; continuatum fuit in matutinis remediis; nox inſecuta quieta. —

8vo morbi die. Levis mador obtegit corporis ſuperficiem, cephalea nulla, nec aurium ſuſurrus; ſed lingua lignea, ſitis

magna , meteorismi ſpecies adeſt , nam percuſſum reſonat abdomen, pulſus diffluunt ſub digitis , tendines ludunt, tumorque cum eryſipelaceo rubore tam ad brachium quam ad naſum obortus eſt , ſanguis exigua quantitate ex utero effluit ; continuatur quidem decoct. cort. peruv., ſed adjecta fuit drach. una liquor. anodyn.

Veſperi exacerbatio manifeſta ; proſtratæ jacent vires vitales , pulſus admodum debiles , ſymptomata matutina urgent, atque calor urens. Hinc abſente Profeſſore decoct. cortic. ſaturat. cum viginti guttis tinctur. thebaicæ porrectum eſt , clyſter ex decoct. cort. ſaturat. cum camphor. drach. una. Nec non omni bihorio accepit , pulveres ex moſchi gr. tribus cum ſachari ſcrup. uno. Inſecuta eſt infeliciſſima atque noviſſima nox , deliria continua ; ſpiritus anguſtus cum multis ſuſpiriis , & ſanguis ex utero ſub minimo motu magna vi ruit, undique lividæ apparent petechiæ , tumores autem eryſipelacei evanuerunt. —

9no morbi die. Miſerrima eſt reſpiratio, facies hippocratica , frigent manus pedesque , & ſub quocumque motu , ſanguis ex utero profilit ; ſumſit adhucdum medicinam, ſed hora undecima , e vivis deceſſit.—

Ca-

Cadaver ob maximam in putredinem proclivitatem, aperire nequivimus. —

Attenta obſervatio juvantium & nocentium docet, hoc in caſu, quamquam manifeſta adſuerit jam a morbi initio debilitas, ſtimulantia tamen non profuiſſe, quin etiam illis imputanda ſit fatalis hæmorrhagia uterina quæ peſſumdedit vires omnes, morbumque (quod ab initio non fuit) peſſimæ reddidit indolis; ideo illuſtr. Frankius nullius ſyſtemati addictus, bis rejecit ſtimulantia veſperi porrecta, ob nimiam irritabilitatem hujus ægrotantis. — Multoties vidi egregium virum veſpertino tempore ad lectulos accedentem, ubi calorem auctum totumque nervoſum ſyſtema irritatum deprehendit, mox ſepoſuit omnia ſtimulantia & ad emulſa atque enemata confugit, quæ placidum conciliarunt ſomnum. Huxhamus magnum Sydenhamum taxans, quod nimium in omnibus febribus, & in ipſa peſte methodum antiphlogiſticam commendaverit, ſequentia verba ſubnectit: „Procul du„bio occurrunt febres, quæ aliquo modo „plura, quam lanceolam, cereviſiam ſe„cundariam & purgans requirunt" & paulo inferius: „Meræ vero evacuationes & frigida „aquoſa diluentia, non cuilibet conſtitutio„ni & omnibus febribus conducunt. — Aſt, „dum vitamus vitia, plerumque contraria

„ committimus , & aſſumpta ſententia , al-
„ terum aliquando ita inſtagare poteſt , ut
„ fere flammulam extinguat vitalem , atque
„ alterum , ut machinam incendat , ne dele-
„ terio miasmati in illa concedatur locus.
„ 23.) —"

HISTORIA XXIII.

Hæmorrhœgia uteri poſt abortum, cum febri nervoſa.

Fœmina , ſana cæteroquin , duos excluſit utero infantes , & ſæpe abortum perpeſſa eſt ; menſtrualis fluxus non rite procedit. Ante ſeptem dies , gravida in qnarto menſe , prægreſſa ira magna , cephalea ſupervenit , ſanguis dein grumoſus ex utero effluxit , altero die ad latrinam ſedens , ſine prægreſſo dolore , ſine nixu , fœtum membranis adhucdum involutum amiſit , nulla ſubſecuta eſt hæmorrhagia , & per duos dies fere ſana vixit. Nocte autem ſequente , absque inſigni dolore , ſanguis uno proruebat impetu , fluidus primum , mox autem grumoſus , & tali copia , ut quaſi in lecto nataret ; medicus altero die vocatus medicinam porrexit , qua parum-

23) Huxham. lib. de febribus cap. III.

rumper mitigata fuit hæmorrhagia. Primo autem mensis Julii, cum non siluerit fluxus sanguineus, nosocomium petiit & 2do Julii, morbi 7mo, publice examinata exhibuit: faciem exsanguem, labia insolito more pallida, respirationem liberam, ventris dolorem nullum, cephalalgiam, præcipue dolor supra orbitas urget — pulsus sunt duri, tensi, vibrantes parumper, sanguis parce emanat. Cum debilitas totius corporis, facies pallida, hæmorrhagia ipsa, de summa debilitate testentur, non habito respectu ad pulsuum duritiem, illustr. Frankius decoct. cort. unc novem mucilag. gummi arab. unc. unam cum dimid. & syrup. unc. unam præscripsit. Diæta tenuis, cum non appetat.

3tia Julii. Hæmorrhagia aucta, sed sensim sensimque non uno impetu prodit cruor, pulsus duri tensi, uti heri. Medicina eadem.

4to Julii. Exacerbatio vespertina heri advenit; insecuta est nox non placida, sanguis tamen parcior atque pulsus non adeo tensi durique. Continuatum fuit in medicina.

5to Julii. Dolor ventris in latere sinistro, stillat cruor per uterum, pulsus hesternis duriores. (duritiem hanc illustr. noster Professor a nimia irritabilitate cordis depromit, quo

fit,

ſit, ut ſanguis majori cum vigore in arterias intrudatur.) Continuantur medicamenta roborantia & diæta quarta.

6to Julii. Calor corporis naturalis, ſomnus quietus, dolor nullus, pulſus duritiem deperdit. Inſiſtendum in methodo medendi.

7mo Julii. Stillicidium ſanguinis quoque ceſſat; creſcit appetitus, nulla exacerbatio veſpertina. Remedia eadem.

8vo Julii. Facies hilarior, cruor non amplius conſpicitur, pulſus naturales; decoct. cortic. omni bihorio.

9no & 10mo Julii eadem indicatio nam bene ſe habet.

11mo Julii. Jam ſurgit, fames urget, nec guttam amplius ſanguinis deperdit. Medicina ut heri.

12mo Julii. Domum petituræ ad recuperandum priſtinum robur exhibiti fuerunt pulveres ex drach. dimid. corticis, ut ter de die unum ſumat; accepit ſexdecim tales doſes. —

Vidimus egregium effectum corticis peruviani in hac hæmorrhagia a debilitate ; cortex hic non ut adstringens sed ut roborans ab illustr. nostro Professore adhibitus fuit , idem de hoc remedio sentit clariss. Whyte 24. Mirati sumus iterum sagacitatem celeberrimi viri , qui adspectu habituque ægrotantis & febris symptomatibus ductus, quamquam pulsum tetigerit durum tensumque, tamen pronunciavit debilitatem hic subesse , audacter corticem adhibuit , & en ! sub usu roborantium remediorum pulsus duritiem deperderunt, (quia morbosa illa sensibilitas sublata fuit) cessavit hæmorrhagia & vires incrementum ceperunt. Quamquam nil novi sit, roborantia unice conducere in hæmorrhagiis a debilitate 25), attamen juvat talia exempla diligen-

---

24) „The bark, which is more remarkable for „its strengthening thán adstringent quality, „seems to be less adapted for stopping hæmorrhags, than for restoring strength to those, who have been reduced by them.„ Whytes Observations on the nature causes and cure of nervons, hypochondriac and hysteric disorders. Edinburg second edit. pag. 401.

25) Tralles de hæmorrhagia uterina a debilitate, agens, dicit : „repetita experientia didici, pulchra præstare remedium Ludovici Septallii, „decoct. cort. aurant. subvirid., qui id, notante Riverio, extinictione chalybis fortius „reddere solebat. Commendant illud etiam Frid.

genter adnotare, cum maxima pars medicorum non audeant in hæmorrhagiis, ad roborantia confugere, mediam quaſi tenent viam, & ſic terendo tempus, peſſumdantur ægrotantis vires, dum hæmorrhagia perſeverat, & fundamenta ad futurum hydropem collocat! — Si autem pulſum inſuper durum deprehendunt, ſtatim exclamant, hic inflammationem latere, ad venæ ſectiones properant, & jure merentur, quod de his Frid. Hoffmannus in egregia Diſſertatione de ſalutari & noxio venæ ſectionis uſu, dicit: „multi proh! dolor, ſunt, „ qui omnium fere morborum ortum & cauſas a „ nimis ſanguinis abundantia deducunt atque de- „ rivant, eaque propter liberales nimium ſunt „ in ſanguine profundendo, ac in omnibus tan- „ tum non morbis, venam ſecandam eſſe „ præcipiunt, prætereaque ſciunt fere nil."

Co-

„Hoffmannus & Aſtruc; meminique bene, „mihi id olim ut arcanum laudaſse celeb. nos- „trum de Helwich. „ Virtutem hujus decocti ab interna fungoſa atque alba ſubſtantia corticum aurantiorum, optimus vir, derivat, quam, credit, adſtringentem poſsidere virtutem. Sed agit ut ſtimulans, ut roborans, quemadmodum cort. peruv. & alia roborantia. Nil ineſt ſpecifici. — Vid. Tralles de uſu opii part. II. pag 55.

COROLLARIUM XIII.

Icterus.

Juvenis ad nos cum intenso venit ictero, causam hujus morbi ignorans; exhibita fuit, absente Professore, mixtura: ex aqua menth. extract. taraxac. & liquore anodyn; altero die cum adfuerint nauseæ, vomituritiones, appetitus deletus atque sapor amarus, illustr. Frankius tinctur. rhei cum sale amaro adhibuit. Nimis inde purgatus fuit æger, & pulsus nunc naturalibus celeriores; timens ergo, ne nimis hisce remediis debilitetur æger, ad pristinam rediit mixturam, & post dies quindecim omnia symptomata præter flavedinem evanuerunt, sanusque nosocominm deseruit.

Cum hic juvenis jam integre restitutus adhucdum flavum præ se tulerit colorem, dixit illustr. Frankius: „ubi icteri causa sublata est, nondum cessat effectus, tempusque requiritur, ut bilis effusa in sanguinis massam, iterum resorberi queat." Videndum ergo, subnectit vir egregius „non omnino humores ex pathologia excludendos esse, & quamquam olim peccaverint, dum omnem fomitem morborum ex fluida machinæ humanæ parte derivarint, attamen doctrina, quæ contrarium docet, non

„ mi-

„ minus fallax eſt ; hinc caput, ubi Brownius
„ de ſymptomatibus agit , nullius eſt mo-
„ menti."—

COROLLARIUM XIV.

Febris nervoſa ſtupida.

Puer ad nos , tertio morbi die cum terribilibus febris putridæ ſymptomatibus , delatus fuit ; cephalea , aurium ſuſurrus , caput temulentum , ſomnolentia , oculi lacrymantes , virium proſtratio ſumma , calor urens , pulſus molles parvi vix numerandi , tendinum ſubſultus , cutis ſicca arida , petechiæ ; multa quoque adfuerunt ſigna gaſtrica , lingua flava , ructus , dolor ad cardiam , abdomen inflatum , meteorismus , diarrhæa ; huic febri oppoſita fuerunt decocta cort. peruv. ſaturata cum camphora , ob tendinum luſus pulveres ex moſchi gran. tribus cum ſacharo ; ad meteorismum diarrhæamque fugandam , Tinctur. anodyn. adhibita fuit ; nec non & veſicantia multa ut rubefacientia & balnea tepida in uſum vocata fuerunt ; ſic puer , ex periculoſiſſimo morbo , ſpatio 13 dierum ex integro reſtitutus fuit ; evanuerunt ſub uſu horum remediorum omnia ſigna ſic dicta gaſtrica. — Puer adhucdum apud nos hærere coactus fuit ob tineam,

qua

qua jam ante hunc morbum laboravit; applicata fuerunt cataplasmata emollientia ad cruſtas abigendas, hoc facto, inſperſus fuit pulvis ex mercurio præcipitato rubro & ſic pro hic & nunc malum debellatum fuit. Nec non hoc anno ter quaterve ſcabiem fugavimus cum inunctione unguenti Werlhoffii. i. e. ℞. axung, porcin. unc. unam, mercurii præcipit. alb. drach. unam m. f. unguent., & balneis tepidis cum hepate ſulphuris. Nunquam ſub uſu hujus unguenti, ſalivationis veſtigia apparere vidimus.

COROLLARIUM XV.

Urticaria.

Juvenis hoc exanthemate affectus ad nos venit, vix febricitavit, præter hauſtum noſtrum ſalinum nil ſumſit, per cubiculum ambulavit, & nullum ſymptoma alicujus momenti obtulit, ſi urinam excipias, quæ ab initio morbi ſubnigra fuit, & ſolummodo ſenſim ſenſimque morbi decurſu. priſtinum recuperavit colorem.

COROLLARIUM XVI.

Febris nervoſa ſtupida.

Juvenis 22 annorum integra antea fruebatur ſanitate, donec menſe Junii, ſine prægreſſis prodromis, inopinate febrili inſultu fuerit correptus, advenerunt & vertigo, aurium tinnitus, pruritus oculorum, lucis intolerantia, lingua ſubſicca, appetitus proſtratus, oppreſſio ad ventriculum, tuſſis, ſputa cum ſtriis cruentis, dolores ſub ſterno, reſpiratio non libera, alvus clauſa, & ſudor multus nocturnis temporibus. Domi ſalem amarum ſumſit, malum indies auctum; quia olim hæmorrhagiæ narium adſuetus fuit & cephalea nunc urgebat, ad phlebotomiam confugit; ſed vires inde decreverunt, & cum ſignis magnæ debilitatis ad nos venit; cutis jam petechiis deturpata. Porrectum fuit corticis decoct. cum polygal. ſenek. infuſo; nec non multa veſicantia ut rubefacientia, & ſic ſpatio 14 dierum ad priſtinam rediit ſalutem; hæmorrhagia narium, quæ ſæpe ſub morbi decurſu recurrit, magnum attulit levamen, ſemper inde caput liberius factum fuit; ita ut non omnes hæmorrhagiæ in febribus nervoſis, adeo damnandæ ſint. —

Reſpuit hic juvenis decocta, ideo nil quam

quam aquam bibit, quod etiam illuſtr. Frankius, decocta non multum amans, lubenter ei conceſſit.

COROLLARIUM XVII.

Febris intermittens tertiana duplex.

Juvenis aliquos febriles inſultus perpeſſus cum apyrexia plenaria inter, ſcholam practicam petiit, exhibens lienis tumorem & linguam albam; cum nec ſigna gaſtrica nec inflammatoria adfuerint, ſtatim ad corticem in ſubſtantia confugimus, accepit unc. unam pulveris cort. peruv. in quatuor partes diviſam, omni bihorio talem pulverem. Poſt ſumtam ſecundam doſin, jam vomuit (an non ob nimiam quantitatem hujus remedii?); tertia doſi aſſumpta, iterum vomitu rejecta, ſepoſitus fuit cortex — nox inſecuta quieta. Altero die præſcribebatur ℞. aquæ fontis; cinnamom. anna unc. duas, Tinctur. anodyn. gutt. viginti quinque, omni $\frac{1}{4}$ horæ cochlear. Soporoſus per diem quidem æger, ſed febris non rediit; dolendum ergo non perſeveratum fuiſſe in uſu hujus remedii, cum egregium exemplum debellatæ febris ab opio ſolo, præbuiſſet. Veſperi abſente illuſtr. Profeſſore, decoct. cort. cum tinctur. anodyn, præſcriptum fuit; ſic etiam altero die, febris non reverſa eſt; ſed

ter-

tertio die æger multum de oppreſſione ventriculi conquerebatur; nunc manifeſtum fuit, ægrum non perferre corticem; remoto ergo hoc medicamento, priſtinam accepit mixturam cum opio. 5to die, detumuit lien, & perbelle ſe habuit, viget appetitus, medicina nulla. 6to die, ut æger a recidivo præcaveatur, cortex iterum in ſubſtantia ad drach. unam omni trihorio tentatus fuit. 7mo bene ſe habet, bene nunc perfert corticem, ideo domum redituro, adhuc unc. una in ſex partes diviſa, porrecta fuit. —

COROLLARIUM XVIII.

Febris tertiana.

Textor ſemper ſanus, ante aliquot dies, absque ſibi conſcia cauſa, horrore, calore & ſubſequente ſudore, obrutus fuit; advenerunt ſub inſultu, amaror oris, nauſea, lingua multo muco flavo obtecta & ructus inanes, quæ ſymptomata omnia, ſilente altero die paroxysmo, ex integro evanuerunt; 3tio autem die anteceſſit paroxysmus, ſimulque aderant ſymptomata gaſtrica. Medicus vocatus emeticum porrexit, & poſtea ſolventia; ſed 5to die jam cum aurora rediit febris, continuatum in ſolventibus; 7mo die nocte jam reverſus eſt (quod rarum) febrilis inſultus; nunc noſocomium petiit, ubi ſtatim unc. unam cortic.

in

in ſex partes diviſam accepit, omni bihorio doſin unam; 9no die iterum nocte febris ægrotantem infeſtavit, lingua eſt admodum ſpurca, perſeveratum fuit cum cortice. Paroxysmus non amplius rediit, & ſpatio octo dierum ſanus noſocomium deſeruit. Ex inconſtantia ſignorum gaſtricorum, ſubapyrexia penitus evaneſcentium, jure illuſtr. Frankius concluſit, hanc linguæ ſpurcitiem orisque amarorem, potius effectum quam cauſam febris ſiſtere; & re vera ſub uſu corticis, omnia hæc gaſtrica ſymptomata cum febri ipſa disparuere. — Interim tamen, ubi vera ſaburra gaſtrica hæret ſub præcordiis, egregius vir uti alii, hanc cum ſolventibus expellit. Talem caſum hoc anno in ſchola practica habuimus.

Multas aureas illuſtr. Frenkius nobis tradidit regulas, circa curam febrium intermittentium, inter quas primum certe locum tenet ſequens; „ubi homines macilentos coram „ habeamus, qui jam multos inſultus febriles anomalos præcipue verſus veſperam redeuntes & cortici non auſcultantes perpeſſi „ ſunt, ſemper metus inſtat, ne ſub hiſce „ intermittentibus, febris lenta tabifica lateat, præcipue ſi ſimul tuſſis atque ſudores adſunt nocturni". Hanc regulam non ſat bene perſpiciens, fateor, me hoc anno

gravem in prognosi commisisse errorem. Mulier gracilis, multo prædita ingenio, perpesso luctu moeroreque, ob amissum dilectum maritum, febri intermittente laborare incepit; medicus minus attentus ad causam prægressam, farraginem solventium, per duos integros menses adhibuit, febris pertinax delusit medicamenta, semperque insultum repetiit, matutino tempore hora undecima, cum frigore non magno, calore autem intenso, sine sudore, qui nocte secutus est; interim macies obduxit artus, & tussis multa insomnes reddidit noctes. Altero medico in concilium vocato, nondum ausus ob flavedinem linguæ corticem porrigere, extracta amaricantia cum rheo proposuit; cum autem insultus nunc bis in die redierint, me quoque vocarunt; sputa erant suspecta, macies summa, sudores nocturni, pulsus debiles celeriores naturalibus & nunquam apyrexia plenaria; attamen ad febrim respiciens, corticem in decocto suasi & anxiam non formavi prognosin. Tantum res incognita animos turbat. — Re vera cortex insultum vespertinum fugavit, mitioremque reddidit matutinum, sed cum penitus cessare non voluerit, corticem in substantia, decocto addidi, vomitu autem hunc ejecit, reversus ergo ad decoctum; contra tussim, multum profuit laudan. liquid. sydenhami, tranquilliores inde factæ fuere noctes.

In-

Incepit nunc ægra de anxietate circa præcordia conqueri, omittendus fuit cortex, insultus redierunt fortiores; nunc indolem morbi paulisper clarius perspiciens, omnia hæc remedia adhibui, quæ ab auctoribus contra tabem laudantur, sed vanum fuit desiderium, nam accedentibus crebris alvi dejectionibus, œdemate pedum & omnibus illis terribilibus febris tabificæ symptomatibus, ægra mentis compos, post quatuor ab initio morbi menses, miseram efflavit animam. Ægra nunquam ad hunc morbum fuit disposita, ita ut merito hunc ex neglecta febri intermittente ab initio, derivare possimus.—

COROLLARIUM XIX.

Ascites incipiens.

Juvenis clinicum petiit, sequentia narrans: se jam tertia vice correptum fuisse febri intermittente, sumsit varia a vulgo pro febrifugis habita, re vera siluit febris, sed nunc tumet venter & urinæ parce fluunt. Cum debilitas totius systematis nervosi adfuerit, illustr. Frankius corticem ad roborandum exhibuit, sed non bene tulit æger hoc medicamentum, urinæ inde parciores reddebantur, & de oppressione multa circum præcordia conquerebatur; sepositus fuit cortex, & ad

urinam propellendam, porrexit noster Professor cremorem tartari i. e. unc. unam in sex partes divisam, omni bihorio dosin. Sumto hoc medicamento, immensa copia urinæ quotidie prodiit, disparuit omnis tumor; ut debilitati succurratur, cortex adhibitus fuit, quem nunc perbelle pertulit æger; sic post tres hebdomadas sanus ad suos rediit.

Plures habuimus ægrotantes, hoc anno, hydrope incipiente laborantes, quibus eximie conduxit cremor tartari ad consilium Menghini porrectus, mirum in modum inde urina mota fuit, evanuit mox omnis tumor, & vestigia hydropis, hoc solo remedio, brevissimo tempore fugata fuerunt. Thilenius quidem hunc quoque effectum a potu Menghini observavit, sed tunc præcipue, ubi febris cum siti multa & urina parca, rubra, fœtida adfuerit. 26.) Nos autem ægrotantes sine febre & sine his symptomatibus a Thilenio adductis, solo cremore tartari perfecte restitutos vidimus; immensa semper fuit lotii copia. Puella ad nos venit, cum habitu leucophlegmatico totius corporis & pedum œdemate, menses inordinate fluxere. Morbo pro chlorosi declarato — decoctum cortic. præscriptum

---

26.) Thilenius Medizinische chirurgische Bemerkungen. Frankfurt am Mayn, pag. 166.

tum fuit. Malum indies crevit, inquietæ advenere noctes, ægra summis anxietatibus evigilata, magnam faucium constrictionem persensit, urinæ parce fluxere; sed ob debilitatem pulsuum continuatum fuit in cortice; ægra omni nocte vexata, supplex evacuans postulabat dicens, se summum levamen semper inde habuisse; concessum fuit — accepit sal amarum cum manna, & tranquillior secuta est nox. Illustr. Frankius nunc ad alteram indicationem se convertens, nempe, ut urinæ propellantur, unc. unam cremor. tartari in sex partes divisam præscripsit, ut sumat dosin omni bihorio. Jam post diem, incepit urina magna fluere copia; omni die 12 vel 14 vasa vitrea, quæ vocant (Seidlgläser), repleta fuerunt, & sic urinæ profluvium per octo duravit dies, concidit nunc omnis tumor, evanuit leucophlegmatia; apetitus viget, & nil remanet quam debellare debilitatem superstitem; contra quam usa est cortice, quem perbelle nunc tulit, & sic, postquam per mensem apud nos hæserat, sana domum paternam revisit.

De proficuo usu cremoris tartari in hydrope loquitur quoque Casimir Medicus 27.)

 HI-

27.) Sammlungen von Beobachtungen 2ter Band pag. 578.

HISTORIA XXIV.

Febris nervoſa ſtupida.

Juvenis 24 annorum, robuſtus, tres annos abhinc ſiphiliticus, perfecte autem curatus. Ante novem menſes peripneumonia laboravit, methodo antiphlogiſtica liberatus quidem a morbo, ſed remanſerunt ſputa ſuſpecta ad hunc usque diem, nec non dolores a lieno inchhoantes, & ad medium pectus ſeſe extendentes. — Poſitio in ſiniſtrum latus ob lienis dolorem nequaquam perficienda. Paulo poſt, advenerunt ardor in mingendo (cauſam non faſſus eſt) urina ruberrima, teſticulorum dolor & tumor. Ope alicujus unguenti reſtitutus. Cum in loco paludoſo degerit, febris intermittens obvenit, fugata cortice. Ultimo Maji hujus anni, dolores artuum ſupervenerunt, qui præcipue nocte ſæviere, verſus auroram autem pro maxima parte remiſere; nec non & deglutitio difficilis facta eſt; cum hæc ſymptomata ad quintum usque Junii perduraverint, clinicum petiit, exhibens dolorem lienis ſupra memoratum cum decubitu in hoc latus admodum impedito, reſpirationem non liberam, cum multis ſputis puriformibus fundum in aqua petentibus; tuſſim validam; pulſus naturalibus celeriores; ardorem urinæ, & dolores in lecti tepore admodum exacerbatos. Labem hic pulmonum ſubeſſe, ex ſig-

ſignis nobis oblatis, jure credidimus; ſed quid dolores nocturni velint, an ſint ſiphiliticæ indolis (cum æger conſtanter negaverit, ſe ad hunc morbum modo anſam dediſſe), vel vero reumatici dolores, qui quoque non raro noctis tempore incrementum capiunt, adhuc non ſat determinatum fuit. Ægrum ſine medicamentis reliquimus.

6to Junii ob debilitatem decoct. cortic. accepit. — 7mo ſic continuandum.

8vo idem. 9no contra dolores nocturnos, ſummum culmen aſcendentes, gran. dimidium opii veſperi porrectum eſt. 10mo re vera mitigati fuerunt dolores, donec opii vis ceſſaverit. Repetitum fuit veſperi.

11mo dolor lienis recruduit. Medicina eadem.

12mo. Tuſſis per noctem, ſputa multa puriformia, reſpiratio liberior; perſtant artuum cruciatus. In decocto corticis continuandum, & opii gran. unum. veſperi. 13tio nox placida, pectus quieſcit, nil quam gran. unum opii, veſperi. 14to Somnus doloribus interruptus, ſputa ſuſpecta, decoct. cortic. 15to cruciatus nocturni urgent, ſputa multa; de lue nunc naſcitur ſuſpicio ob dolo-

rum

rum pertinaciam. Præſcriptum fuit. ℞. Extract. cort. peruv. ſcrup. unum opii puri, mercurii dulcis anna gran. unum, fiat cum pulvere liquirit. & ſyr. bolus. Omni veſperi unum. Continuandum in decocto. cortic. Pro potu decoct. Bardanæ.

16to. Nox quieta, verſus auroram ſenſus frigoris; in lecto degat, medicina continuanda.

17mo Sudor nocte, bene ſe habet. Continuandum. Hora nona matutina acceſſit denuo frigus, ſubſequente calore miti.

18vo. Nox placida, ſputa minus ſuſpecta. Inſiſtendum in medicina. Verſus meridiem rediit inſultus febrilis, paulo poſt autem evanuit. Veſperi œdema pedum.

19no. Eadem medicina, nam dolores fere ceſſarunt; rediit verſus horam primam pomeridianam febrilis inſultus.

20mo. Mane nil novi, eadem medicina; ſed verſus ſecundam pomeridianam horam, ſubvenit iterum frigus, inſecutus eſt calor, qui ad veſperam usque duravit, pulſus debiliores.

21mo. Dolores nulli, ſed pulſus febriles molles, ſitis valida, calor corporis auctus, tuſſis vehemens præcipue auroram verſus, ſputa copioſa ſuſpecta; ad præcavendum, ne hæc febris intermittens tranſeat in continuam, cortex in ſubſtantia & quidem unc. una in duodecim partes diviſa, ordinata fuit. Bolus ſeponendus.

22do. Nox quieta, ptyalismi minæ, continuatum in pulveribus. Veſperi ſalivatio manifeſta, febrilis inſultus non rediit, ſuſpenſus fuit (abſente Profeſſore) pulvis ex cortice.

23tio Salivatio major, gingivæ admodum dolent, tument calentque, nec non & colli glandulæ in conſenſum trahuntur, vacillant dentes; cataplasma emolliens ad collum & ad glandulas ſalivales, decoctum malvæ pro collutorio, & balneum tepidum. Quibus omnibus uſus eſt 24to 25to 26 & 27mo Junii ſenſim ſenſimque inminuta eſt ſalivatio, febris nulla.

28vo Junii. Acceſſit odontalgia, dolent præcipne dentes molares & gingivæ, ctuciatusque ad oſſa tempora usque extenditur, nec non & reliquiæ ptyalismi urgent. Lac tepidum ad collutionem oris præſcribebatur, & balneum tepidum. Sub hac methodo medendi per 29. 30. 31 Ju-

Junii & 1. 2. 3. 4. Julii ſalivatio, gingivarum dolor, & odontalgia penitus ceſſaruut. 5to Julii. A meridie verſus quartam frigus ægrum invaſit, ſubſecutus eſt calor intenſus ſine ſudore, ſub frigore tuſſis multa, cum ſputis ſuſpectis. Abſente Profeſſore præſcriptum fuit decoctum corticis. (Quare tam empirice incedendum? Quare non in cauſam hujus febris inquirendum? æger jam per tot dies liber a febri, ab omni morbo fuit, & denuo rediit inſultus, ergo ſubeſſe debuerit cauſa, quæ forſitan longa atque repetita percunctatione perſcrutanda fuiſſet. Et re vera, poſt mortem hujus miſeri æger vicinus retulit: juvenem tempore convaleſcentiæ gulæ indulſiſſe nimis, ultimoque die carnem multam aceto conditam devoraſſe, inſuperque lac, quod ei ad collutorium porrectum fuit, bibiſſe. Emeticum forſitan primo morbi die ægrum ab orci faucibus eripuiſſet.—)

6to Julii. Continuatur decoctum corticis. Verſus veſperam rediit febrilis inſultus validior heſterno. — Nox inſecuta inquieta.

7mo Julii. Credit illuſtr. Frankius, hanc febrim luem pro cauſa agnoſcere. — — Hinc bolos mercuriales præſcripſit, qui illi contra dolores conduxere.— Sed jam ante prandium æger valido corripiebatur calore ſine prægreſſo frigore, cum cephalea valida, reſpiratio-

tione impedita, tuſſi inani laborioſa, ſapore amaro, & appetitu deleto; alvus octies mota, liquida, torminoſa — abdomen eſt inflatum attamen molle, calor cutis ardens, pulſus frequentes, molles, facile comprimendi, urina valde tincta, dedolatio ſumma. Abſente Profeſſore, ordinatum fuit, decoct. cortic. unc. novem, pulver. cort. peruv. unc. dimid. aquæ cinnamom unc. una; bolus mercurialis non exhibendus.

8vo Julii. Somnus turbatus, dolor capitis atrox, lingua impura, reſpiratio læſa, pulſus quidquam pleni, vibrantes; alvus iterum octies mota cum borborygmis, appetitus deletus, halitus oris admodum fœtens. Errore nunc diætæ inculpato, accepit tincturam rhei aquoſam ad unc. quatuor cum aquæ menthæ unc. duabus, omni bihorio cochlear, (quid precor, a cochlear. tinctur. rhei omni bihorio porrecto, exſpectare poſſumus?) diæta tenuis; ſepoſito corticis decocto. —

9no Julii. Somnus nullus, cephalea ad frontem præcipue, facies rubra, reſpiratio læſa, abdomen percuſſum reſonat, lingua rubra, viſcida — appetitus abactus, laſſitudo ſumma, vertigo, dum ſeſe in lecto erigit, cutis ſicca, petechiæ multæ in brachiis, tremores continui, alvus duodecies mota,

vi-

virium magna jactura, nunc ab Illustr. Frankio dictum fuit, ægrum hunc, febri nervosa a contagio laborare, cum diætæ error primam morbi ansam dederit. Præscriptum fuit decoct. cort. cum rad. serpent. drach. duabus infus., & vinum. Vesperi diarrhæa fatalis urget, concidere vires; laudani liquid. gutt. decem, decoct. cort. adjectæ sunt.

10mo Julii. Nocte delirium, urina jumentosa. — Urgent hesterna symptomata, nec non & purpura inter petechias undique apparet. Medicina hesterna, duo vesicantia ad suras. Vesperi meteorismus; cataplasmata emollientia ad abdomen. —

11mo Julii. Delirium ferox per totam noctem, e lecto desiliit furens æger, vicinosque infestavit ægrotantes; cæterum hesterna symptomata, eadem medicina & duo vesicantia ut rubefacientia ad brachia.

Vesperi exacerbatio manifesta, vires admodum prostratæ, meteorismus ingens — fomenta ex herbis aromaticis ad abdomen, clysmata ex decocto cortic. cum camphor. drach. dimid., duo vesicant. ad suras. Medicina eadem, uti mane fuit.

13tio

13tio Julii. Muſſitatio nocte, vires fere amiſſæ, pulſus exiles, reſpiratio infelix. — Exhibebantur decoct. cortic. ſaturati unc. novem, liquor. anodyn. Hoffmann. drach. una; omni bihorio vaſculum. Moſchi optimi gran. tria, ſachar. ſcrup. unus. omni bihorio talis doſis; duo veſicantia ut rubefacientia. Veſperi. Lingua tremula, meteorismus; loco liquoris Hoffmanni ætherem vitrioli accepit, cætera eadem; ſed ſinapiſmata cum pulvere cantharidum, unde formata ſunt varia cataplasmata, ad varias corporis partes applicanda. —

14to Julii. Omnia heſterna ſymptomata vigent, æger interrogatus, quomodo ſe habeat, *bene* reſpondet. Tremores undique, cutis arida, pulſus vix percipiendi; medicina heſterna & balneum tepidum. Veſperi ſudor viscidus obtegit ſuperficiem corporis, cutis inſtar carbonum ignis urit, alvum quater inſcius depoſuit; eadem nocte circa horam undecimam periit. —

Sectio cadaveris.

Præter lienem prægrandem hepatis molem fere ſuperantem, nil morboſi detegere potuimus, & quamquam æger jam ab hoc tempore, quo peripneumonia ægrotaverit, attac-

attactum in lienis regione a longinquo fugerit, attamen nullo vitio laboravit hoc viscus. — Nec non & pulmones, in quibus non sine ratione sufficiente labem suspicati sumus, propter angustam respirationem, oppressionem pectoris, ussimque multam cum sputis puriformibus, integri atque illæsi reperti sunt. —

Varios ægrotantes lue venerea laborantes, hoc anno, illustr. vir tractavit. Plerumque inunctiones mercuriales adhibuit, uni autem ægrotanti vegeto atque robusto cum ulceribus venereis, mercurium solubilem Hahnemanni porrexit, sed vix æger secundum granum sumserit, cum jam oborta est horrenda salivatio & odontalgia magna, cum multis emollientibus atque balneis vix fuganda. 28.) Dixit illustr. noster Professor: mercurium Hahnemanni ita ut cætera hydrargyrii præparata in aliquibus mox ptyalismum producere; quod etiam in magno nosocomio Mediolanensi vidit, quamquam ab eruditis chimicis perfecte præparatus fuerit. Attamen non negat bonum esse remedium.

Testiculus tumens quoque nobis occurrit; adhibita fuerunt cataplasmata frigida, cum aqua Goulardi; nec non & lenia evacuantia, & sic restitutus fuit æger. —

C O-

28.) Als Beytrag zu dem 5ten Stück in dem 1ten Bande des Journals der Erfindungen ꝛc.

COROLLARIUM XX.

Dyssenteria cum febri inflammatoria.

Fine mensis Julii, juvenis torosus vegetus ad nos accessit, conquerens de crebro alvino fluxu cum doloribus ventris multis & tenesmo valido; pulsus erat fortis, paulisper vibrans, vires vigentes, rubuit facies atque calor corporis naturalem excessit. Febrim ergo inflammatoriæ indolis deprehendimus; sed cum non tanta fuerit, phlebotomiam non suscepimus, clysmata quoque ob nimiam intestinorum sensibilitatem rejecimus, & nil quam multa emollientia ore ingessimus; sub hac methodo brevi omnes intestinorum labores atque tenesmus molestus evanuere. Cum autem diarrhæa debilitans adhuc perduraverit, illustr. Frankius, decoct. ex corticis simarubæ drachmis duabus, in libra aquæ porrexit. — Jam altero die recruduere dolores; mox seponendum fuit hoc decoctum, & ad emollientia confugiendum; horum usu per octo dies, dysenteria ex integro fugata fuit. Cum nunc & pulsuum conditio, & ægrotantis habitus clare monstraverint, abactam esse omnem inflammatoriæ febris suspicionem, ad roborandum, decoctum corticis peruviani exhibitum est. Mox pristinam recuperans sanitatem, suos revisit.

HISTORIA XXIV.

Febris continua remittens nervosa.

Puella, ad lectulos duorum infantium febri putrida laborantium, ex quibus unus diem obiit supremum, officio custodis functa; post infelicis funus, multam carnem anserinam comedit, totam noctem saltando transegit & frigida hausit, æstuante corpore. Altero die jam adest, dedolatio magna, nausea, vomituritio, capitis dolor summus, atque febris multa. Chirurgus vocatus venam secuit & purgantia præscripsit; 3tio die, malorum incrementum, clinicum petiit, exhibens: cephalalgiam magnam, aurium susurrum, oris amarorem, tendinum lusum, tremores & concussiones, pulsus debiles, atque summam anxietatem, ita ut nec per momentum quiete in lecto hæserit, faciemque mirum in modum contorserit; dubia prognosi facta, præscriptum fuit: decoct. cortic. saturat. unc. novem, liquor. anodyn. Hoffmann. drach. un. Vesperi jam paulisper melius se habet, sed ardorem ventriculi accusat, decoct. cortic. simplex, sine liquor. Hoffmann. exhibebatur.

4to. Melius se habet, medicina continuanda. 5to, dolet paulisper abdomen, res

in-

interim melius procedit, medicina eadem. Poſt meridiem, alvum copioſam depoſuit cum magno levamine. 6to. Bene ſe habet, continuandum.

7mo. Minæ redituri paroxysmi adſunt, cortex ergo in ſubſtantia porrigendus, videndum an ferat, data fuit drach. dimidia pro doſi, omni trihorio.

8vo. Optime ſe habet, fert pulveres, ſic ergo inſiſtendum.

9no. Oppreſſionem ventriculi perſentit ægra, cæteroquin bene habet, medicina nulla.

10mo. Appetitus nondum redit. Infuſum amarum.

11mo item. 12mo. Radix columbo ad drach. unam in quatuor partes diviſa, præſcripta fuit ad appetitum revocandum; Sic 13tio die morbi ſana, appetitum ſi excipias, noſocomium deſeruit.

Fateor me præcipitato nimis judicio, infelicem in hac puella formaſſe prognoſin, perterrefactus anxietate hac ſumma absque quisquiliis manifeſtis in primis viis, adeo ab auctoribus damnata, & quam aliquot ab hinc men-

menses, lethali cum eventu in juvene, cujus historiam memoravi supra, conspeximus. Cautius cum prognosi incedissem, si melius memor fuissem monitorum magni Switenii in Commentar. Tom. II. sic dicentis: „summam attentionem medicorum mereri, anxietatem in morbo acuto, & severo examine indagandum semper esse, quænam hujus symptomatis causa sit, attamen," annectit vir summus, „omnium minime periculosam esse illam anxietatis speciem, quæ a spasmo ob inordinatum spirituum motum fit, uti in hystericis & hypochondriacis toties observatur". —

HISTORIA XXVI.

Peripneumonia cum febri nervosa.

Mulier 30 annorum, decem prolium mater, semper sana vixit, abortum si excipias, quem semel secundo graviditatis mense perpessa est. Vigesimo Julii gravida per quatuor menses, terrore magno atque ira valida commota, altero die e lecto surgere conanti, ablata fere fuit movendi vis, accesserunt dolores vehementes in coxa, nec non spiritus anxius atque præclusus, præcipue si ad latus dextrum sese convertere voluerit. Chirurgus vocatus venam tudit, & post

post aliquas horas tunsam iterum aperuit. — Vesperam versus, prægressis lumborum ossisque sacri doloribus, abortivum exclusit fœtum; hæmorrhagia nulla subsecuta; peripneumoniæ autem symptomata incrementum ceperunt.

3tio morbi die, vesperam versus ad clinicum delata, in via jam fluxus uterinus prodiit, qui apud nos continuavit.

4to die morbi. Perdurat hæmorrhagia (ut ægra dicit, aliquid placentæ in utero remansisse —). Facies hujus ægrotantis est collapsa, flava, lingua mucosa non sicca — spiritus præclusus, & in nullum latus ob suffocationis metum convertendi potestas; sputa multa cum sanguine non recenti mixta, venter vel lenissimum attactum recusat, dolor ad spinam dorsi, vires prostratæ jacent, pulsus molles & inconstantes. Ut prospiciamus viribus labefactis, decoct. cortic. cum infus. polygal. senek. porrectum fuit, vesicans ad pectus, & cataplasma emolliens ad ventrem. Vesperi omnia in pejus ruunt, vacillant pulsus & ægra levamen respirationis in erecto situ quærit — prodeunt sputa puriformia flava admodum copiosa. Scrup. unus camphoræ ad decoct. cortic. adjectus fuit.

Nec non & tentamen inſtitutum, ut forſitan pars placentæ relicta extrahi poſſit; ſpasmodica autem uteri contractio, omnem impedivit explorationem.

5to morbi die. Quamquam & melius ægra nunc ferat attactum ad ventrem, quamquam & ſputa multo cum levamine apparente prodeant, attamen ob celerem difficilemque reſpirationem cum ſcapulis magno labore peragendam, indubitata mors prævidenda fuit. Interim repetita fuerunt heſterna remedia, nec non & balneum tepidum ordinatum.

Veſperi omnia in pejus, & nocte ſubſequente auroram verſus, prægreſſis deliriis furioſis, a vita receſſit.

Vidimus hic confirmata veterum effata a Stollio iterum repetita, de aliquibus ſymptomatibus loquens, quæ vana ſpe ludunt medicos in gravioribus pectoris morbis, annectit: „infidum id levamen eſſe, „ reſpiratio docet, quam maxime ac fere „ unice in morbis pectoris obſervandum „ Baglivius voluit;" hæc ſi prava fuerit,

ti-

„ time ſemper , etſi omnia reliqua eventus „ exoptatos portendant. 29)

Sectio cadaveris.

Lobulus pulmonis dextri ad diaphragma reſpiciens inflammatus quidem, ſed non vera phlogoſi; eſt potius eryſipelaceus rubor, qui hanc pulmonis partem obtegit; totum autem pulmonem dextrum, pſeudomenbrana undique circumdat. Interior uteri ſuperficies gangræna jam correpta, medio hæret pars placentæ nigra gangrænoſa; liquor admodum fœtens ex uteri orificio ſtillat.

An non hunc morbum, jure febrim puerperalem nominare poſſumus? —

COROLLARIUM XXI.

Febris nervoſa cum topica pectoris affectione.

Virgo 18 annorum, ira excandeſcens, altero die ob dedolationem ſummam vix ambulare potuerat, caput erat vertiginoſum, grave, febriles ſæpe perſenſit inſultus, at-

29.) Stollii ratio medendi. Pars I.

attamen ad quartam usque diem neglexit omnem medelam, donec supervenientibus peripneumoniæ incommodis, nimirum pectoris oppressione, tussi sicca, spirandique difficultate, chirurgus incautus, ad vires vitales prægressasque causas minime attentus, venam secuerit & purgantia in usum vocaverit. Crescente autem malo, sexto morbi die, clinicum petiit cum viribus prostratis, febri asthenica & pectore affecto; undique apparent petechiæ, præcordia vel lenissimum attactum recusant. Medicina ad roborandum ex cortice cum infus. polygal. adhibita fuit. 7mo morbi die jam melius se habet, pristina medicina & vini libr. una. *Vesperi* petechiæ disparuere.

8vo morbi die obvenit diarrhæa, mox in pejus ruit malum. Tinctur anodyn. gutt. decem ad corticis cum polygala decoctum.

9no die. Melius quidem, evanuit peripneumonia, sed vomituritiones vexant ægram; polygalæ hoc imputandum, hinc omissa est. 10mo melius habet, sub hac roborante methodo. 15to morbi die sana, integra cum respiratione, clinicum dereliquit.

COROLLARIUM XXII.

Uteri induratio.

Mulier feliciter absque magnis enixa eſt partum laboribus; poſt ſecundum autem diem, absque data cauſa, ſiluit lochiorum fluxus, obortus eſt dolor ſummus in epigaſtrica regione per duas hebdomadas durans, dein pedes inceperunt dolere; ab hoc tempore evanuit ventris cruciatus quidem, ſed remanſit pertinax alvi obſtructio. Paulo poſt, ærumnæ iterum in abdomine fixerunt ſedem & pedes liberati ſunt. — Sic clinicum petiit. Cum hos dolores ſpasmodicæ indolis eſſe crediderimus, varia antiſpaſtica nec non & amara cum arcano dupplicato ad pertinacem alvi obſtructionem vincendam, adhibuimus. Ne hilum hæc remedia levarunt morbum, ſemper in eodem ſtatu, cum magnis ventris ærumnis per vices redeuntibus & tenesmo multo, verſatur ægra; nec non pondus ſenſumque tractionis in infimo ventre accuſat. Exploratione inſtituta, relatum fuit: os uteri hians atque labia prolongata, nec non uterum ipſum induratum & quaſi in vagina incuneatum repertum eſſe. Ex hac exploratione, ex tenesmo ſenſuque ponderis tractionisque, nec non ex alvi pertinaci retentione & ventris ærumnis, certam credi-

didimus diagnosin: esse nempe uteri indurationem; hinc non bonum augurati sumus eventum. Ut tamen aliquid moliamur, pillulæ ex extract. taraxac. cicut, sapon. venet., anna drach. una, pulv. herb. cicut scrup. uno, syrup. q. s. ut fiant pill. gran. trium, præscripta fuerunt; ut sumat mane & vesperi quatuor. Altero die cum dolores magno recruduerint impetu, balneum tepidum & vesperi narcoticum ordinatum fuit. Tenesmus molestus post balneum remisit, sed sævit dolor in ventre ad hypochondrium dextrum usque, facies admodum pallida, subflava, anorexia magna. Linimentum volatile nostrum in partem abdominis affectum ordinavimus, aucta pillularum dosi.

Dolor de die in diem incrementum cepit, timuit illustr. noster Frankius, ne nimis irritetur uterus induratus, — hinc omisit pillulas & ad emollientia festinavit. Continuato horum usu per quatuordecim dies, durities abdominis sensim sensimque evanuit, dolores remiserunt ex integro, jam non pondus ingratum nec tensionis sensum in infimo ventre accusat, appetitusque viget. Exploratione denuo instituta relatum est: uterum non amplius induratum esse, nec incuneatum in vagina hærere, sed os uteri atque labia, naturali gaudere forma. Paulo

lo post, recuperatis viribus, sana nosocomium deseruit.

Alterum habuimus exemplum, ubi uterus quoque exploratione facta induratus repertus fuit, aderant fluor albus, sensus ponderis in abdomine, facies cachectica, dolores per vices, & menstruorum fluxus impeditus; cum autem adfuerit debilitas totius corporis, roborantia in usum vocata fuerunt, & balnea tepida cum fomentationibus emollientibus contra dolores; sic sensim sensimque evanuerunt om̃nia hæc symptomata, uterus duritiem atque intumescentiam deperdidit, & fœmina post mensem sana, ad suos redivit.

Videndum ergo, quam difficile sit, veram hujus morbi diagnosin eruere, ubi attactus nobis uterum tumentem exhibuerit; nam omnia signa uteri indurati (quemadmodum in exemplis modo memoratis) adesse possint, attamen intumescentia uteri sola, a causis nondum sat distincte in medicorum fastis expositis, ferax omnium horum symptomatum esse potest. —

Videndum ergo, quam suspectæ sint habendæ, omnes illæ historiæ uterorum induratorum, feliciter a medicis curatorum; uti apud Ri-

Riverium 30) & apud alios deprehendimus, Plura de hac re, alio tempore dicam.

COROLLARIUM XXIII.

Eryſipelas cum febri nervóſa.

Varia nobis occurrerunt hoc anno eryſipelata, methodo debilitante feliciter fugata, quia febris, quæ hæc comitata eſt, inflammatoriæ fuit indolis; unum autem, cum manifeſta febri nervoſa (putrida auctorum) inceſſit.

Puella 19 annorum, jam multis labefacta morbis, ante quatuor menſes pedibus iter longum ultra vires fecit; media jam via cephalalgia obvenit magna, quæ non remiſit, donec Viennam petierit, ubi pruritus in mamma ſiniſtra adeo afflixit ægrotantem, ut in ſcalpendo quæſiverit levamen; natus eſt abſceſſus, erupit, & pus multum fudit. Ad ſcholam chirurgicam delata, cum unguento digeſtivo & decoct. corticis quercus, ſanatum fuit ulcus. Paulo poſt, in altero loco hujus

30.) Obſervationum Centuria prima, obſervatio XXXVIII.

jus mammæ, tumor ruborque apparuit; brevi abſceſſus formatus, cultro aperiendus; puris magna effluxit copia. Sub hoc morbo laboranti, quinto Auguſti advenit horor intenſus, calore multo, per viginti quatuor horas durante, inſequente, proſtratæ jam tunc fuere vires vitales; decoct. cortic. cum infus. polygal. exhibitum fuit. 2do die, horror denuo, calor ingens, narium hæmorrhagia absque euphoria, vires magis dejectæ, oppreſſio pectoris, pulſus molles, diarrhæa; cum hoc ultimum ſymptoma a radice polygalæ ſenek. derivandum fuerit, loco illius, decoctum corticis peruv. cum camphora præſcribebatur. 3tio, evanuit pectoris oppreſſio; hæmorrhagia rediit, debilitas urget; tumor ruborque bruneus obtegit pectus; medicina heſterna & vinum. Ad mammam, ſacculi aromatici. 4to, ad clinicum delata exhibuit veram febrim nervoſam cum eryſipelate profunde rubente ſuper mammas pectusque totum ſeſe expandente. Omnia hæc remedia roborantia, ſtimulantia, quæ hoc anno adeo felici cum eventu adhibuimus, in uſum vocata fuerunt; ſed ægra recuſans omnem medicinam, 14to Auguſti nono morbi die, periit.

COROLLARIUM XXIV.

Scarlatina.

24to Augusti, juvenis ad nos delatus fuit; exhibens scarlatinam cum summa virium vitalium prostratione, pulsuque molli; nec defuerunt tendinum lusus, cephalea vehemens, oculi lacrymantes cum rubore suffusi, & faucium profundus rubor. Domi venæ sectione atque purgantibus multis, tractatus fuit. — Prognosis non fausta; decoctum corticis cum granis decem camphoræ accepit, omni bihorio vasculum; duo vesicantia ad suras. Vesperi symptomata mitiora, deglutitio melior, nox quieta. Altero die mane bene se habet, sed versus horam decimam omnia hesterna symptomata magno redierunt vigore, urens calor atque decubitus infelix. Medicina eadem. Postmeridiano tempore melius se habet; continuatus roborantium usus & brevi post sanus, domum revisit paternam.

Variæ nobis occurrerunt scarlatinæ cum febre levi inflammatoria; lenissima medicamenta totam absolverunt paginam. In duobus simul linguæ intensus rubor atque diarrhæa non debilitans, in conspectum venere; & adulta virgo ad nos accessit, cui scarlatina, erysipelatis more, ambas obtexit manus cum rubore ac tu-

tumore, ita ut has per totum morbi decursum, claudere nequiverit; gravior cæteris ægrotavit. Epidermis in magnis decessit frustulis; convalescentia longa, (id fere in omnibus adultis, hoc exanthemate affectis, observavimus) attamen sine anasarcæ vestigiis.

In tractando exanthemata, vir illustris viam, quam in Epitome proposuit, secutus est; primum atque unicum fuit, indolem febris inquisisse & ad hunc direxisse methodum congruam. Epidemia autem hujus anni, nervosa fuit; ideo roborantia eximie conduxerunt. Raro conspeximus febres cum vera saburali colluvie in primis viis, hinc rarissimus solventium usus.—

Nec non & Zonam ad lienis regionem in fœmina phtysica illustr. Professor nobis monstravit. Erupit hæc erysipelatis species sine dolore quidem, sed cum intenso pruritu. Paulo post evanuit exanthema, phtysis autem immedicabilis remansit, ideo ad alterum cubiculum delata fuit.

Pemphygum chronicum quoque illustr. vir hoc anno tractavit, totamque fere materiam medicam exhausit, incassum! nam morbi ignota indoles, omnia elusit remedia.

Il-

Illuſtris noſter Frankius non raro, ad ægrotantium lectulos accedens, rapuit occaſionem de morbo, quem coram habuimus, & normas ex locupleti experientia tot annorum depromptas, elegantiſſimo nobis expoſuit ſermone; quas in futura quidem conſervo tempora, juvat tamen aliquas hic memoraſſe, cum has in clinico inſtituto confirmatas conſpexerimus.

1.

Ubi in viſcere aliquo, dolores uno impetu oriuntur, qui mox ſummum culmen aſcendunt ægrumque adeo cruciant, ut pulſus inde reddantur inæquales, & lypothomiæ ſubveniant; merito naſcitur ſuſpicio, ne hi dolores potius ad claſſem nervoſarum affectionum attineant, quam ad veras inflammationes. Noſtrum clinicum multa talia nobis, hoc anno, præbuit exempla; inter quæ primum locum habet, hepatitis illa nervoſa, cujus hiſtoriam ſupra recenſui.

2.

Stertorem in nervoſis febribus cum Hippocrate & aliis, damnat illuſtr. Frankius, non

non adeo autem hunc timet in pectoris morbis. Re vera, multas vidimus peripneumonias cum stertore ab initio, sine ullo damno. Prosper Alpinus in libro de præsagienda vita & morte, cap. XI. de stertore in pulmonum affectionibus agens, annectit: „ est itaque unum ex lethalibus signis. Sed „ accurate tamen distinguendum, quo tem„ pore incipiat aut in morbi principio, aut „ postea ingravescente morbo; nam si exi„ tiosum est, nunquam apparet, priusque „ alia eluxerint signa exitialia". Et paulo inferius: „In principio vero pleuritidis & „ peripneumoniæ & febris ut vocant ca„ tharralis, quæ catharrum sequitur, vel „ una cum ipso fit, aliquando ob excremen„ torum copiam, seu, ut dicunt, ob ca„ tharri diffluentis ad fauces atque ad pectus „ copiam, non lethaliter stertunt; non se„ cus quam asthmatici & orthopnoici multi, „ qui postea humore aut excreto, aut reso„ luto, liberantur". —

3.

Si sub diarrhæa profusa magis tumet venter, statim ad corroborantia confugiendum est. — Vir diarrhæa chronica laborans ad

nos

nos acceſſit ; multis jam uſus eſt remediis, intumuit in dies venter ; alvi dejectiones copioſæ, flavæ, viridescentesque, 31) oris fœtor magnus, appetitus deletus. Illuſtr. Frankius, non habito reſpectu ad hæc ſigna gaſtrica, ob diarrhæam debilitantem, decoctum ex corticis ſimarubæ drach. tribus cum laudan. liquidi gutt. decem præſcripſit. Evanuit mox tympaniticus ille tumor, & diarrhæa inde multo mitior facta fuit.

Simarubæ corticem in diarrhæa, commendat quoque Broklesby, in medical obſervations on military diseaſes. Part. II.

4.

Confirmatum vidimus practicorum effatum : ſi febri ſuperata, adhuc unum alterumve ſymptoma remanet, ut ariditas linguæ, calor auctus, ſitis, &c. ſemper reditionem morbi timendam. —

5.

31.) Dixit jam ſummus Morganius de diarrhæa loquens: „neque enim cum vulgo putandum eſt, „ quidquid flavi, aut viridis humoris egeritur, id „ omne eſſe bilem." De ſed. & caus. morb. epiſt. XXXI. Nro, 8.

5.

In chlorosi non raro tanta est irritabilitas morbosa, ut pulsus subduri atque calor adauctus, statum mentiantur inflammatorium. Sub hisce rerum positionibus, medicus dubius hæret, quid moliendum? evacuantia non indicantur, venæ sectiones malum augent, & minimus roborantium stimulus, jam immanes ciet turbas. Experientia docuit nostrum Professorem: in hoc ambiguo casu, nil magis malo adæquare, quam acidum Hallerii; tollit enim irritabilitatem effrænam, unde corpus magis ad corroborantium usum aptum fit. —

6.

Mensium fluxus, febri detentis inflammatoria, superaccedens, criticus non raro habendus; semper autem damnosum sistit symptoma, in febribus cum debilitate. Fœmina gravi febri nervosa affecta, ad nos venit; methodo congrua tractata, jam aliqua signa optimæ apparuere notæ; obortus est menstrualis fluxus largus; mox illustr. Frankius infaustum prædixit eventum, & re vera, cum omnibus stimnlantibus, ab orci faucibus eripi non potuerat. Bis terve, menses in astheni-

nica febri, cum damno erumpere vidimus. Grunerus quoque damnat sanguinis profluvia in febri putrida. 32.) Attamen hoc anno non raro, narium hæmorrhagias in febri nervosa cum magna euphoria prodire, conspeximus.

Doleo me non consignatas habere, tres quatuorve morborum historias, quæ non exiguum decus addunt, doctrinæ nostri Frankii; inter quas certe primum locum tenet hydrops anasarca; alterum peripnenmonia cum febri nervosa, quæ sese nobis obviam ded[illegible], fine hujus anni scholastici.

Vir dira correptus peripneumonia, domi quinque venæ sectionibus tractatus, malorum incrementum indies persensit; quinto morbi die, omnes conciderunt vires vitales, æger sub erecto situ summo anthelitu auram captans suffocationi proximus fuit. Sub hoc miserando statu, ad clinicum delatus, exhibuit: peripneumoniam ad summum culmen provectam cum virium prostratione magna. Actum de vita hujus ægrotantis credidimus; sed egregius vir omnem adhibuit roborantium cohortem

---

32.) Semiot. patholog. part. II.

tem in ſtupenda copia; accepit omni die, decoctum cortic. peruv. ſaturat. cum camphor. drach. dimid.; clysmata ex decoct. cortic. unc. quinque cum camphor. drach. una, omni trihorio; nec non & ſerpentar. moſchum, vinum, opium propter diarrhæam, liquor. anodyn. Hoffmann., ætherem vitrioli & veſicantia multa. Sic admirantibus omnibus hunc ægrum libitinæ adeo vicinum, duodecimo morbi die morti ereptum vidimus. Hic vir integra fruens ſanitate noſocomium deſeruit, ſine ulla pulmonum labis ſuſpicione.—

Primum autem magnum exemplum exhibuit, hydrops anaſarca, quem egregius vir hyeme elapſa tractavit. Vir ærumnis plenam ducens vitam, habitaculoque humido degens, febri quartana laboravit. Neglexit morbum, ſupervenit anaſarca, indies crevit malum, urinæ fluxerunt parce; hydrops nunc anaſarca formata, undique hærent aquæ ſub cute, & immenſa eſt moles abdominis; vires dejectæ, chemoſis oculorum, convulſiones hinc inde & viſus obnubilatio; ſic clinicum petiit, de ſalute deſperans. Re vera obnubilatio hæc viſus & convulſiones, metum relinquunt, ne ſint aquoſæ collectiones in cerebro ipſo; magnus eſt ventris tumor, hinc aſcites metuendus; pectus angitur, ex ſomno excitatur cum ſummis anxietatibus;

ideo & pectoris hydrops adesse posset. Prognosis infausta instituta; nihilominus illustr. Frankius consilium sequens magni Sydenhami 33.) cum medicamentis aggressus est rem dubiam, & propter febrim perpessam, debilitatemque summam, ad corroborantia confugit; dedit decoct. cortic. cum oxymele squillitico. Post aliquos dies ægrum convulsum ac fere moribundum deprehendimus; continuavit egregius vir in corticis usu, nec non & vinum&diætam lautiorem ordinavit. Nunc urinæ copia enormis omni die, concidit omnis tumor, rediere sensim sensimque vires, pulsus insurrexerunt, perseverat magnum lotii profluvium, jam jamque liber ab omnibus hydropis vestigiis, æger in vitam, methodo hac congrua, revocatus fuit.

Scio equidem non novam esse hanc methodum curandi hydropem, quam Brokles-

33.) Sydenhamus in tractatu de hydrope de ascita provecto loquens, annectit. „morbus ad hunc „ gradum jam provectus, artis subsidia, quantum video, contemnit. Nihilominus medici „ est, cum certo scire nequeat, quantum adhuc noxæ visceribus illatum fuerit, curationem omni ope moliri, remediis tam evacuan-

klesby diffuse exposuit 34.) & quæ jam a multis retro annis, sat nota fuit; sed quidquid & dicant, experientia omnium locorum docet, sanationem integram hydropis anasarcæ provectæ, inter rariores attinere, semperque fusius describi meretur. Iterum

---

„ tibus quam corroborantibus, & neque animo „ ipsius cadere, neque ægro ut cadat, auctor „ esse debet."

34.) „ The Anasarcous dropsy, as has been men-„ tioned allready, often followed long, lin-„ gering, and intermittent fevers, where „ the crisis had been imperfect, where extra-„ ordinary tumores of the spleen appeared, „ and where the solids, in general, had „ been much debilitated in the begining and „ progress of the disease. When these were „ the only symptoms that appeared, and „ when the disorder arose merely from a „ weak state of the solids, the cure consisted „ chiefly in ordring a restorative diet; a litt-„ le Red Port wine daily; the bark in sub-„ stance, given to the quantity of three oun-„ ces in a fortnight, with iron filings, and „ aromatic species, as before directed, or „ a proportional quantity of bark decoction, „ with a few grains of the aromatic species „ boiled in it, compleated the cure".

Medical observations on military diseases. Part. II.

rum Switenium audiendum : „poteſt jam „ hydrops anaſarca totum corporis habitum „ occupare , tum tunica cellulofa per om„ nia ſe diffundat ; ſed tunc facile patet , „ difficillimam curationem prævideri , cum „ totus ſanguis in aquoſam tenuitatem de„ generaverit ; tuncque Hippocrates , vix „ ullam ſpem ſupereſſe dixit , ſi omnis „ pinguedo perierit. Tunc & Aretæus ip„ ſa tympanitide difficiliorem curatu pro„ nunciavit anaſarcam : opportet enim me„ dicum in hoc morbo totum hominem per„ mutare , quod neque diis ipſis facile „ fuerit". 35.)

Re vera illuſtr. Frankius hoc, ope corroborantium, in noſtro ægrotante perfecit , & fateor , ego , qui ultra ſeptem annos noſocomium frequento , me nec unquam talem hydropem provectum, curatum vidiſſe.

En

35.) Swietenii Comment. in aphorismos Boerhavii Tom. VI. hydrops.

En hiſtorias morborum, benevole lector! quas ſedulo hoc anno ad lectulos ægrotantium collegi; iterum iterumque veniam efflagito, ſi hinc inde errores, me inſcio, ſubreſpere; vel ſi ſermone non digno laude Tanti Viri, hujus præclara facta recenſui; promitto meliora, ſi Deus Optimus Maximus dabit otium.

Finis.



Errata.

Errata				Corrige
Pag.	2.	l. 5.	vacilla — — —	vacillat
—	4.	l. 2.	pulſumque —	pulſuumque
—	9.	l. 25.	exacercatio —	exacerbatio
—	17.	l. 17.	ſeni — — — —	Seni
—	31.	l 13.	extrlectum —	extra lectum
—	31.	l. 14.	ſaliquas — —	aliquas
—	31.	l. 14.	ic — — — —	ſic
—	40.	l. 18.	Continuatium —	coutinuatum
—	42.	l. 27.	que — — —	qua
—	43.	l. 6.	Petit - darſon —	Petitdarſon
—	43.	l. 17.	ſelle — — —	elle
—	75.	l. 1.	ventricule —	ventriculo.
—	132.	l. 8.	inchhoantes —	inchoantes

